DE HIATV

QVI IN FRAGMENTIS PRISCAE POESIS ROMANAE INVENITVR.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

WILHELMUS AX

HAMBURGENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXVII.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt P. Wendland † et M. Pohlenz.

Examen rigorosum habitum est ante diem IV kal. Sext. anni MCMXIV.

PIAE MEMORIAE

FRIDERICI LEO

SACRVM.

iudicat enim sensus, in quo est
iniquum quod accidit non agnoscere,
si cur id accidat, reperire nequeamus.
Cicero or. 183.

Etsi persaepe diligentissimeque in hiatum Plautinum inquisitum est, non satis puto viros doctos operae consumpsisse in hiatibus examinandis qui in tragicorum comicorumque poetarum fragmentis exstant. Quare Leo saepe monuit, ut excuterentur haec testimonia [1]). Et opus est tali disputatione. Neque enim, quamquam scimus omnes Terentium et Plautum, hiatus illum inimicissimum, amicissimum hunc, plane diversos imparesque esse, ut declararemus hiatum Plautinum contigit. Quare cum via ducere non videatur ab arte Plautina ad Terenti usum, quaerendum est, possitne ponticulus inveniri, cum circuitione usi tractemus fragmenta ceterorum poetarum. Et hoc quoque interrogandum est, possitne Plautus, etsi recessisse in solitudinem videtur, revocari in collegium poetarum qui ante eius tempus vel postea viguerunt. Ergo ordiendum est a fragmentis, cum tractatur hiatus Plautinus, ut differentia inter Plautum et Terentium iam semper cognita, qualis sit, intellegatur. Errat igitur Maurenbrecher [2]), cum dicit primum explicandum esse hiatum Plauti, ut iudicium inde sumptum transferatur in

1) cf. Litgesch. pg. 195, ann.
2) Hiat und Verschleifung im alten Latein pg. 14.

fragmenta. Nam talis quaestio est, ut — cum in fabulis Plauti hiatus multi, nulli fere in Terenti fabulis insint et ob eam causam Plautus suum ipsius locum teneat — Plautus velut ignotum x in rationibus is sit in quem inquiratur. Quare fieri non potest, ut a Plauto ignoto ordientes examinemus fragmenta velut alterum ignotum. Sed ut Terentius solus inspicitur, non velut tractandus secundum morem Plautinum, sic fragmenta quoque sola per se excutiantur. Neque igitur nobis, cum nihil sciamus adhuc de fragmentis, ab usu Plauti neque Terenti exorsis agendum de eis.

Sed cum inciperemus hoc animo fragmenta tractare, cognovimus nos niti non posse fragmentis qualia edidit Ribbeck. Qui optime meritus est de prisca poesi Romana et multa laude dignae sunt editiones fragmentorum eius temporis quod tractamus. Tamen cum editis a Ribbeckio fragmentis novae nobis donatae sint editiones Nonii, Festi, Gellii, nonnullorum operum Ciceronis quae nonnunquam gravia nos docuerunt de fragmentis constituendis, paene de uno quoque versu denuo disputandum erat. Neque vero sola materia nova substrata est tali modo omni quaestioni de fragmentis instituendae, ars quoque et ratio exculta politaque est tractandi fragmenta. Leo enim praecipue in libello suo qui inscribitur De tragoedia Romana, non verbis, sed re docuit quam caute fragmenta perquirenda sint ita, ut semper respiciatur in sermonem, metrum, in historiam codicum eius in cuius libro versus de quo agitur traditus sit. Docuit quam artis finibus conclusa sit ars interpolandi, coniciendi, dummodo invenire velimus non quae nobis placeant, sed quae poetae scripserint. Docuit quanta modestia et arte nesciendi uti debeat qui hoc opus suscipere velit.

Necesse igitur est, cum Ribbeckii editione niti iam non liceat, unum quemque versum secundum artem criticam examinare, quid in codicibus traditum esse putare possimus, quaerere, respondeantne tradita sermoni et sensui an egeant mutatione an sit desperandum de emendatione.

Deinde his rebus perfectis interrogari potest versus quid de hiatu doceat. Minime igitur respiciendum est in hiatum, dum recensio, interpretatio, fortasse emendatio adhibetur versui. Insitne hiatus in versu, quaestio est ultima. Denique mensura quae tribuatur versui, investiganda est et utrum recte in editionibus verba tradita dividantur in versus an accipi possit altera mensura quae hiatum non immittat in versum. Quod si fieri potest, de hiatu iam non est testimonium.

Tali modo inquisitio instituenda est in fragmentis de re metrica vel prosodica vel grammatica. Et ne oblitteretur haec ratio disputandi in hoc opere, sic disseremus: primum enim secundum ordinem temporum poetarum versus singuli tractabuntur qui hiant vel hiare dicuntur. Sic etiam de omni versu iudicari poterit sine respectu hiatus et propterea fundamenta inquisitionis perspicue apparebunt, ut disputatio quoque ipsa facile tentari possit. In altera autem parte operis exponemus quae nos docuerint fragmenta tractata [1]).

1) A quibus, quando, quomodo de hiatu actum sit, supersedeo enumerare, cum meum non sit enchiridion componere de hiatu. Sed satis est relegare ad Maurenbrecheri historiam hiatus (pg. 1 sqq.) et ea, quae Leo paucis verbis dixit in initio sexti capitis quaestionum Plautinarum.

LIVIUS ANDRONICUS.

TRAGOEDIAE.

18. *Confluges ubi conventu campum totum inumigant.*
Nonius 62, 20.

Confluges tradidit tertia manus Florentini quae tot et tam bona servavit. Sed *confluge* in L fortasse *conflugae* testificatur, ita ut hiatus in secunda septenarii trochaici arsi fiat. Tamen *confluges* ut verum esse credam, me non tam Bergk[1]) movet, quam quae Solmsen[2]) disseruit de morphologica ratione huius verbi, etsi de hiatu, ut infra videbimus, Solmsen errat. cf. Lachmann, comm. in Lucr. pg. 306 (*confragus*); Leo, Plautinische Forschungen[2] pg. 351.

26/27. *Ego puerum || interea ancillae subdam lactantem meae,*
Ne fame perbitat . . .
Nonius 153, 26.

Nos illum interea proliciendo propitiaturos facul
Remur . . .

Sic Pacuvius (322) plane eodem ordine verba sese excipere voluit quo verba Livi tradita sunt[3]) neque verbum ullum deesse in Livi versu ille Pacuvianus demonstrat. Inutile ergo est quod inseri iussit Buecheler, *at*. Tamen fortasse paulo intricatius quaerendum est de usu et collocatione verbi *interea* et breviter de proceleus-

1) Opusc. I, pg. 347.

2) Studien zur lateinischen Laut- und Versgeschichte pg. 129 ann.

3) cf. Kaempf, De pronominum personalium usu et collocatione (Berliner Studien für classische Philologie u. Archaeologie III, 2), Berlin 1886, pg. 22.

matico *ego pue—* in initio septenarii trochaici posito. Liv. trag.
Nam syllaba anceps quin legitima sit in arsi secunda huius versus in fabulis Plautinis, iam non dubium est [1]. Quare si verba tradita sana nec mutanda esse demonstrabimus, de hiatu in septenario Liviano agnoscendo iudicare poterimus.

Duas significationes vocis *interea*, si exempla perlustraris, secerni posse elucebit easque inter se cognatas et perlucido verbi etymo utramque aeque respondentem. Coniunguntur enim voce *interea* saepe duae actiones, quae simul uno tempore esse et incipiunt et desinunt (I). Paucis vero locis, cum altera actio in praecedente sententia permanere dicta sit, sententia ab *interea* incipiens novi aliquid oriri, dum illa altera actio fiat, enuntiat. Novum autem illud summum est et gravissimum et qui sic loquitur, narrare pergit, postquam paulisper moratus est ut describeret (II). Consentaneum est non semper tam acriter quam nos ut declararemus, distinximus, alterum ab altero genus dividi posse. Quare pauca tantum, sed ut potero lucida exempla utriusque generis afferam.

I. a) Negativa forma:

Men. 446: *Plus triginta annis natus sum, quom interea loci*
Numquam quicquam facinus feci [2].

cf. Asin. 234/36; Cist. 225/27; Rud. 223/26.

De Stichi versu 29 infra pg. 13 agam.

b) Non negativa forma:

Ter. Heautt. 257/8: *Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci*
Collocupletasti te [3].

cf. 136 sqq.; Trin. 744; Truc. 737; Hec. 421/22 et

---

1) Jacobsohn, Quaestiones Plautinae metricae et grammaticae. Diss. Göttingen 1904. Noetzl, De archaismis etc. Diss. Berlin 1907.

2) Exempla Plauti mihi obtulit index verborum, quae inest in Operarii editione fabularum Plautinarum. Paris 1679.

3) Terenti exempla sumpsi ex Westerhovii editione, Hagae-Comitum 1726.

Liv. trag. tria exempla quae similitudine quadam inter se cohaerent: Asin. 645, 913/14; Heautt. 88; Enn. ann. 89.

II. a) quae facta sunt, narrantur:

Bacch. 286/88:

Is lembus nostrae navi insidias dabat.
Occepi ego observare eos quam rem gerant.
Interea e portu nostra navis solvitur.

E simili quodam sententiarum conexu Nonius (535, 30) verba Afrani (138 R) videtur sumpsisse quae fortasse recte Ribbeck sic constituit [1]):

Tum interibi [2]) *loci conscendo cumbam piscatoriam*
. . . . venio, iacitur anchora, inhibent leniter.

Alia exempla usus laudati praebent hi versus: Mil. gl. 104/6; Phorm. 91; Enn. ann. 434/5; Pacuv. 76/77, 409 sqq.; Turpil. 72/74.

Omnibus locis *interea* cum praesenti, aliquoties cum verbo inchoativo (Pacuv. 76/77, 411) coniungitur. Antecedit autem his praeteritum, ut ea quae antea permanserunt atque etiam permanent significentur: ergo, ut supra dixi, descriptione perfecta narrare pergitur. Quibus exemplis verba somnium narrantis in Merc. 245 sqq. addenda, qui cum verbis *visus sum* utatur, praesenti uti non potest in somni narratione.

b) quae fient, narrantur.

Andr. 313. *Credo impetrabo ut aliquot saltem nuptiis prodat dies:*
Interea fiet aliquid, spero . . .

cf. 398;

Pseud. 265/67:

. . . nam si sacruficem summo Jovi
Atque in manibus exta teneam, ut poriciam, interea loci
Si lucri quid detur, potius rem divinam deseram.

---

1) cf. pg. 16.

2) De verbo *interibi* infra pg. 16 agam ibique cur una cum *interea* tractem explicabo.

Nonne etiam hic altera actio describitur quae dum **Liv. trag.** fit, alterum esse incipit quod summum est.

Sed haec de vi vocis *interea*. Nunc quaerendum quomodo poetae explicaverint illam actionem quacum altera compararetur.

I.

Et primum quidem tempus ipsum quo alterum fit, additur; in initio autem sententias coordinatas, dein eas quae particula coniunctae sunt, afferam.

a)

Asin. 234/6: . . . *sed in leges meas*
Dabo, uti scire possis, perpetuom annum hunc mihi uti serviat
Nec quemquam interea alium admittat prorsus quam me ad se virum.

cf. Cist. 225.

b)

Men. 446 cf. pg. 9: I a; Hec. 421; Asin. 428 et Stich. 29 infra pg. 13/14 tractabo.

II.

Saepe autem alteri personae altera imperat, ut aliquid faciat: tum *interea* vel cum imperativo coniungitur vel cum altera sententia qua qui imperat, quid ipse facturus sit, dicit.

a)

Asin. 367: *nunc tu abi ad forum ad erum et narra . . .*
370: *Ego illum interea hic oblectabo, prius si forte advenerit*
cf. Capt. 951; Pers. 165.

Quibus addendus est ille Pacuvi versus 322, cf. pg. 8.

b)

Asin. 379: *ille est ipsus. iam ego recurro huc, tu hunc interea hic tene.*

cf. Rud. 1224; Capt. 953; Asin. 645.

Interdum autem tantum subaudiri possunt quae qui imperat facturus est: elucent enim ex sententiis antecedentibus. Curc. 255 . . . *Abi deprome. Age tu interea huic somnium*
Narra, meliorem quam ego sum suppono tibi.

Liv. trag. Semel duo uno tempore aliquid facere iubentur, altera sententia verbo *interea* annexa:

Asin. 891: *Da, puere, ab summo. age tu interibi ab infimo da savium.*

Omnia exempla duas personas sibi oppositas ostendunt. Neque vero poetae particula usi sunt adversativa. Quare quod inseri voluit Buecheler *at* in initio versus Liviani ex quo profecti sumus, usui poetarum priscorum non respondet. Sed etiam quo ordine posuerint poetae verba in initio talis sententiae, hi versus docent:

Asin. 370: *Ego illum interea hic oblectabo*[1])

379: . . . *tu hunc interea hic tene.*

Pac. 322: *Nos illum interea proliciendo*[2]).

Sed haec hactenus de sententiis imperativis. Plures enim quam quos enumeravi versus ei sunt in quibus in narratione *interea* usurpatur. Quos cum afferam, item ut supra, utrum subordinaverit poeta alteram sententiam alteri an eas coordinaverit, quaerendum est et hoc quoque investigandum, sintne particulae quaedam quas praetulerint poetae.

I. sententiae coordinatae.

Phorm. 364: . . . *ibi agrum de nostro patre*
Colendum habebat. saepe interea mihi senex
Narrabat.

cf. Rud. 225/6; Truc. 31/33; Hec. 157; Poen. 615/7; Trin. 744/45; Pseud. 573 a (*interibi* A recte; *interea* P).

II. cum particulis.

a) *dum:*

Eun. 592: *Dum haec mecum reputo, accersitur lavatum interea virgo.*

cf. Asin. 914; Merc. 778; Truc. 737; trag. fr. inc. 169/70; Heautt. 136/38, 242, 257; Eun. 255, 894/95.

b) *quom interea:*

Hec. 421: *Dies triginta aut plus eo in navi fui,*
Quom interea semper mortem expectabam miser.

cf. Men. 446.

1) Kaempf pg. 22.

2) Skutsch, Forschungen I pg. 122.

Stich. 29 sqq.: Liv. trag.

Nam viri nostri domo ut abierunt,
Hic tertius annus. SOR. Ita ut memoras.
PAN. Quom ipsi interea vivant, valeant,
Ubi sint, quid agant, ecquid agant,
Neque participant nos, neque redeunt.

Draeger [1]) suo iure dicit simplices sententias interrogativas obliquas secundum rationem grammaticam incipere a particulis interrogativis. „Das Gegenteil kenne ich nur aus einer rhetorischen Frage bei Tac. ann. II, 15: *aliud sibi reliquum quam tenere libertatem aut mori ante servitium?* Anders zu erklären bei Plaut. Stich. 31, wo *vivant valeant* wohl von dem voraufgehenden *quom interea* abhängt". Sed exempla quae ex Menaechmis [2]) Hecyraque attuli, constructionem plane similem ostendunt. Qui versus comprobant Stichi verba sic inter se cohaerere: viri ut abierunt, hic tertius annus est, quom interea neque participant nos vivantne (et quae sequuntur) neque redeunt. Ergo cum *participant* coniungere debes *quom interea* neque quid verba *quom vivant* significare velit Draeger, intellego [3]).

---

1) Histor. Syntax II², pg. 485.

2) cf. pg. 9.

3) Praeterea quod *ne* interrogativum deest, mirum esse non potest, cum statim nullo spatio interiecto sequantur verba: *ubi sint, quid agant, ecquid agant.* Cuius rei simile exemplum praebet Ter. Heautt. v. 454, in quo ea quae interrogationem esse docet sententia, praecedit:

Me: *Estne ea intus?* Chr. *Sit rogas?*

Ex Adelphis accedit alterum exemplum:

619: *Accedo: rogito, Pamphila quid agat, iam partus adsiet,*
Eon obstetricem accersat,

ubi praecedente *quid,* sequente *ne* quin quaestio sit, iam non dubium est. Contra in Truc. versu 779, cum tale auxilium desit, certo iure optimo *-ne* inseruit Studemund. (Eis quae Kaempf [pg. 45] pronuntiavit, oblocutus est Leo in annotatione.) Quare hic versus ex exemplis quae Bennett (Syntax of early latin I, The verb, pg. 332) collegit eximendus est, Stichi autem versus 31 sine dubio quaestio est particula interrogativa omissa (Ussing Asin. 462 [465 L]: „*Sit,*

Liv. trag.

c) variae particulae.

trag. inc. fr. 165/67: . . . *postquam pater*
Appropinquat iamque paene ut comprehendatur parat,
Puerum interea optruncat membraque articulatim dividit . . .
Asin. 428/30: *quia triduom hoc unum modo foro operam adsiduam dedo,*
Dum reperiam qui quaeritet argentum in faenus, hic vos
Dormitis interea domi, atque erus in hara, haud aedibus habitat.

Quid sibi velit *quia* nusquam declaratum video. Nam plus quam causam solam mihi videtur significare. Nam verba *triduom* et *opera adsidua* opposita sunt verbo *interea*, ita ut ex hac oppositione vis sententiarum eluceat: nempe illa sibi opposita uno tempore fieri. Et hoc summum est, neque Leonidae interest causalem solum respicere conexum quem *quia* videtur indicare. Quomodo fit, ut non simplici, sed duplici quadam vi *quia* praeditum esse videatur, propria autem vis verbi *quia* in animo dicentis fere debilitetur pauloque mutetur. Semper autem, cum de vi mutata verbi alicuius agatur, in memoria tenenda erunt quae monuit Loefstedt [1]): „Man muß auch hier auf die Nuance achten und die Sache nicht allzu kategorisch darstellen“.

Accedit quod Loefstedt [2]) docuit in sermone latino posterioris temporis saepe particulas causales in usu fuisse pro temporalibus velut peregr. 38, 1 (Heraeus): *quemadmodum exierint de fonte, simul cum episcopo primum ad Anastase ducuntur*: „Daß besonders lokale, modale, temporale und kausale Bedeutung bei Partikeln und in ähn-

---

non sit“: i. e. utrum sit an non, omissis interrogandi particulis cf. Stich. 36 [31 L] Ter. Heautt. 643 . . .“. Sed versum qui nihil comprobat Ussing attulit, cum qui *sit*, *non sit* coniunctivos concessivos appellarit, refutari non poterit).

1) Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae, Upsala-Leipzig 1911, pg. 129.

2) l. l. pg. 127/8.

lichen Konstruktionen sämtlich oder teilweise auseinander hervorgegangen oder miteinander verknüpft sind, läßt sich auch sonst sehr häufig konstatieren; es handelt sich dabei ... nicht um Sprünge oder äußere Veränderungen der Funktion, sondern um eine innere Verwandtschaft der genannten Kategorien, die wir nicht immer nachempfinden können, um verschiedene Aspekte desselben Grundbegriffs". Iam prius de hoc usu disseruerant W. Hartel[1]) (qui optimum exemplum praebet ex Luciferi Calaritani opusculo cui nomen est De regibus apostaticis [Corp. Script. Eccl. Lat. XIV. pg. 45, 20]: *non statim quomodo fuisset deus derelictus ab omnibus cultoribus suis, opera est data per Hieroboam?*) et E. Wölfflin[2]) qui ex Peregrinatione haec exempla protulit: 17, 3; 27, 9 (Heraeus): *et quem ad modum prandiderint dominica die, iam non manducant nisi sabbato mane.* Denique pauca verba de usu temporali fecit Paulus Geyer[3]), cum de vestigiis gallicis in sermone latino Marcelli Empirici inventis disputaret, et fortasse recte exemplum attulit hoc: 23, 61 (Helmreich): *si ex eo lacte sextarios tres per triduum calidos statim quomodo mulsi fuerint, ieiunus lienosus acceperit* e. q. s. Neque vero hoc gallici tantum sermonis esse concedo: particulis non acriter secundum innatum sensum uti.

Liv. trag.

Praeter *quemadmodum* et *quomodo* in Peregrinatione invenitur *quod* eodem sensu praeditum; quae particula magis quam ceterae ad *quia* illud Plautinum accedit: 2, 2: ... *his diebus, quod sanctus Moyses ascendit in montem Domini* ...

Quae exempla si quis perlustrabit, facile concedet eius usus quem Loefstedt in lucem protulit praecedentibus aliis, quasi umbram iam in Plauti versu Asinariae videri. Neque enim puto neque contendo *quia* positum esse pro *dum* vel simili particula; sed, cum semper *interea* opponatur particulae temporali, hic negle-

1) A. L. L. 3, 30.
2) A. L. L. 4, 274.
3) A. L. L. 8, 478.

Liv. trag. gentia quadam discretione sententiarum non acriter perfecta particula temporalis remota est a particula causali in sermone vivido.

Ut hanc sententiam de *quia* prolatam stabiliamus, adiuvat nos quod, ut in exemplis Luciferi Calaritani et Marcelli Empirici et Aetheriae (2, 2) *quomodo* et *quod* fulciuntur voce *statim* antecedente, sic in Asinariae versu *interea* indicat ea quae verbo *quia* initiantur, eodem tempore fieri. Neque ob hanc rem apud Plautum *quia* altera i. e. causali vi caret, nam *quomodo* quoque ut dicit Eduardus Wölfflin (l. l. pg. 274), vi comparationis usurpatur in Peregrinatione: 25, 3; 44, 3.

Sed redeam tandem ad *interea* et quae supra promiserim reminiscar. Veniam enim petere debeo, quod mixtim *interea* et *interibi* ut usum declararem, usus sum. Et est vis harum particularum eadem, differunt autem inter se, quod *interibi* multo rarius invenitur, nempe apud Plautum Afraniumque solos ex priscis scriptoribus latinis. Quos sequitur Apuleius (apol. 73 *interibi revalesco*), amicus sermonis volgaris. Fuit enim *interibi* sermonis infimi et apud Plautum nemini fere nisi servis lenonibusque in ore est: Mil. gl. 104; Pers. 165; Rud. 1224 servus; Poen 617 leno. Item fortasse Afrani versus 138/9:

Tum interibi conscendo cumbam piscatoriam
. . . venio, iacitur anchora, inhibent leniter

servo alicui attribuendi sunt; nam similiter sese profectum esse, solutas ancoras narrat Chrysalus servus in Bacchidibus inde a versu 277. Quae cum ita sint, dubium esse iam non potest, quin etiam in Asin. v. 891 et Capt. v. 951 *interibi* sermonis rustici volgarisve sit. Nam quocumquemodo iudicandum est de eis quae Tschernjaew [1]) in libello suo de sermone Demeae senis Terentiani contendit [2]),

---

1) Terentiana III Über die Redeweise des Dêmea in der Terenzianischen Komoedie „Adelphoe“, pg. 11 sqq.

2) Cui bene oblocutus est, qui de viri Russici opusculo rettulit in A. L. L. 11, 603, P. Wahrmann Wiener Studien XXX, 103.

hoc certe constat Demaenetum et Hegionem senes Plautinos qui cum servis vel meretrice colloquuntur, elatis verbis minime uti. **Liv. trag.**

Ergo quod A servavit in Pseudoli versu 573 a in sermone Pseudoli servi, bonum est, sed quod P praebent, ex correctura ortum videtur:

tibicen vos interibi hic delectaverit

int[eri]bi A, *interea* (*-ra* B) P.

Sed finiamus quam de verbo *interea* movimus quaestionem. Certe versum Livianum ex quo profecti sumus, recte traditum esse demonstrasse nobis videmur.

Proceleusmatici vero *ego pue-* in initio versus positi exemplum plane item formatum nobis praebet Ahlberg [1]:

com. inc. 43 (pg. 140 R[3])

Modo pueros, modo adulescentes in cursu a tergo insequens
Nec opinantis adsecuta est . . . (cf. Men. 75) [2].

Synecphonesis quam hic auxilio vocat Lachmann [3]), dubito an necessaria sit. Sed utut est, de forma versus Liviani constituenda iam non dubitare possumus secundum exemplum versus prolati.

41. *Quinquertiones praeco* || *in medium vocat*
Festus 257 M.

COMOEDIAE.

2. *Corruit quasi ictus scena,* || *hau multo secus.*
Festus 330 M.

Sensus huius versus plane perfectus est in se neque additamento indiget. Exemplum enim item constructum invenis in Plauti Poen. 834/35:

itaque in totis aedibus
tenebrae latebrae, bibitur estur quasi in popina, || *hau secus.*

---

1) De proceleusmatico, pars II, Lund 1900, pg. 30.

2) Alterum exemplum praebet Pomponius:
96. *Múlier ubí aspexit tam mirifice tutulatam truam* (⏑⏑⏑⏑⏑– . . .).

3) Comm. in Lucr. II 991.

Liv. com. Idem ergo est usus, idem hiatus in his duobus versibus post verbum ablativae formae, propterea vix ausim dicere non fuisse verba *hau multo secus* in fine senarii posita.

Quod attinet ad verbum *scena*, non dubiumst, quin ipsam hanc formam testificetur Festus.[1]).

3. . . . *ornamento incedunt nobili* || *ignobiles*[2]).

Festus 174 M.

ornamentu incendunt cdd., corr. Scaliger.

Recte notat Festus apud priscos *nobile* pro *noto* poni; hoc enim comprobant exempla Plauti omnia: *ignobilis*:

Amph. 440; Pseud. 592, 964.

nobilis: Poen. 757/8:

Mitte ad me, si audes, hodie Adelphasium tuam,
Die festo celebri nobilique Aphrodisiis

i. e. die festo quem multi visitant, multi norunt.

Cf. Rud. 619; Pseud. 1112.

Sed post Plautum celeriter commutata est vis verborum; nam apud Terentium *nobilis* usurpatur praeditum vi claritatis et gloriae quae quasi in nuce iam in Plautino verbo *nobilitatis* inerat: Capt. 299:

quam⟨quam⟩ volui sedulo
Meam nobilitatem occultare et genus et divitias meas.

cf. Mil. gl. 1324.

Uno tantum loco Plauti haec posterior vis apparet in verbo *nobilis*: Cist. 125; sed iure suo hos versus interpolationi scaenicae attribuit Windischmann:

adulescens quidam hic est adprime nobilis.

Quocum versu compares Ter. Eun. versum 952:

Scis eam hinc civem esse? et fratrem eius esse adprime nobilem?

Habuitne in memoria Terenti verba qui scripsit versus Cistellariae? Certe *nobilis* valde suspectum in versu Plautino.

---

1) Item Walde² s. v. *secare* pg. 693; Leo autem *secena* Litgesch. pg. 72, ann. 1.

2) Livi hunc versum fortasse non esse Leo contendit Pl. F.² pg. 90, ann. 1.

Ergo vestimentum nobile fuisse dicit poeta, etsi homines ipsi noti non fuissent. Quam oppositionem verborum cave ne deleas. Liv. com.

CN. NAEVIUS.

TRAGOEDIAE.

34. *Dic quo pacto eum potiti: pugna || an dolis?*
Nonius 481, 28.

Etsi in nonnullis versibus Plautinis (Curc. 589; Bacch. 162; Men. 914/5; cf. Trin. 349) parva interrogatio duplex cui praecedit quaestio a pronomine interrogativo incipiens, caret particula *-ne*[1]), tamen hunc versum esse testimonium certum hiatus dicere vix ausim, cum vel levissima socordia scribae *-n* excidere potuerit:

Dic quo pacto eum potiti: pugna⟨n⟩ an dolis?
Sic Leo quoque maluit.

35. *Ne ille mei feri ingeni atque || animi acrem acrimoniam.*
Nonius 73, 17.

Vix dubito, quin verba huius versus sensui plane satisfaciant. Nam *acer* bene, etsi non necessario, additur verbo *acrimoniae*, praesertim cum ament huiusmodi allitterationem poetae latini veteres [2]). Ex quo verbo pendent duo genitivi *ingeni* atque *animi* qui explicantur uno verbo *feri*. Certe ne hoc quidem verbum cum necessitate est additum. Sed quippe cum ad priorem genitivum appositum sit, arte cohaeret hic prior genitivus cum altero *animi* neque iure facit qui hos genitivos a diversis substantivis pendere iubet. Vel ut aliter explicem: cum Ribbeck *iram* iniecerit a quo pendeat *feri ingeni*, cur *ingeni* verbo *feri* explicatur, *animi* explicatione caret? Id quod Ribbeckii coniecturam rectam non esse comprobat.

Sed quaerendum est, sitne legitima intercisio quae fit diaeresi inter *atque* et *animi acrimoniam*. Cuius usus

---

1) Bennett pg. 487, ann. 3; Stolz-Schmalz⁴ pg. 471.
2) Leo Litgesch. pg. 38, ann. 1. 2.

Naev. trag. revera similia exempla invenisse mihi videor. Nonius (352, 6) enim Titini versum quem viri docti variis modis, nullo iure puto, temptaverunt, sic tradidit

69: *magis quaé famae obiectarent né || eam malefactis nobilitarent* [1].

Turpil. 209:

nihil quícquam a me est praemí neque || erat túae benignitatis [2].

Quibus versibus nisus ne Naevi quidem verba mutanda esse dico.

59. . . . *trionum || hic moderator rusticus.*

Isidor. orig. XII, 1, 30: *Hunc latini trionem vocant, eo quod terram terat, quasi terionem. Naevius* e. qu. s.

Versum integrum hoc loco Isidorum exscribere voluisse comprobari non potest, sed ea tantum verba eum excerpsisse veri simile est quae ad rem pertinent. Quare niti his verbis, ut hiatum comprobet, nemo potest. — Hiat autem, dummodo fidem habere possimus, vel senarius in semiquinaria vel septenarius trochaicus in diaeresi.

61. *Quam numquam vobis Graii || atque barbari*

Cic. orator 45, 152. cf. Lachm. comm. in Lucr. pg. 162.

Item *Graii* et *barbari* composuit Phaedrus (IV, 7, 11):

. . . *in perniciem Graium et barbarum.*

COMOEDIAE.

5—9. . . . *age ne tibi*
Med advorsari dičas, hunc unum diem
De meod equos sinam esse. — Tux pax. — Postea
Currentis ego illos vendam nisi tu viceris.

Charisius 213 P.

7 *demeo sequor* Neapol. *equos* cod. Bondami.

Non iure inseruit *pretio* ante *viceris* Gulielmius [3], nam *vincere* dictum esse de victoria equestri ex huius

1) Versus anapaestici cf. Leo Litgesch. pg. 383, ann. 1.

2) cf. pg. 55.

3) Lucianus Mueller, Livi Andronici et Cn. Naevi fab. rell. Berlin 1885, pg. 56.

fabulae et fragmento quarto et titulo apparet qui est Naev.com. *Agitatoria* quocum conferas Lucili versum 1305 (Marx):

sustineas currum, ut bonus saepe agitator, equosque

et Marxii commentarium. Quare non concedo Ribbeckio [1]) comparari posse quem affert Ballionis sermonem in Pseudolo (371 sqq.).

Quod si recte disputatum est, *equos* fundamento non caret. Quamobrem nunc quidem sequi volo Ribbeckium qui dicit *esse* idem esse in hoc versu atque *edere*. Et *de meo esse sinam* cum sermone Plautino bene congruit: Aul. 294:

Quid? hic non poterat de suo
Senex obsonari filiai nuptiis?

et Bacch. 98:

facere sumptum de tuo

cf. Men. 149; Stich. 426; Trin. 328 saepius (cf. Thes. L. L. V, 94, 10 sqq.).

Ergo qui solvere debet aes alienum, pignori dedit equos quos is cui debet solvere, vendere vult. Sed cum alter sese in certamine equestri victurum et hoc modo debitum soluturum esse speret, profitetur se non hodie, sed cras demum — scilicet victoria non parta — equos pignori datos venditurum esse.

Tamen etsi *de meo* rectum esse comprobatum videtur, *de meod* non item. Nam quae tradita sunt *de meo sequor* potius nos docent latere in corruptela: *de meo hos equos.*

13. *Nimio || arte colligor, cur re inquisita colligor?*
Charisius 186 P.

18. *Cui cepe edundo || oculus alter profluit.*
Priscianus 681 P.

19. *Ut illum di perdant, qui primus holitor cepam protulit.*
Priscianus 681 P; Anonymus Bernensis in Hageni anecdotis Helveticis pg. 106, 26.

primum cdd., corr. Bothius. *Primus* necessarium esse comprobavit Leo Pl. F.[2] pg. 153 ann. 6. Ergo hic versus nos non iuvat, cum de hiatu quaerimus.

---

1) Com. frgmt.[3] pg. 7; Buecheler Rh. M. 29, pg. 196.

Naev.com.20. *Deprandi autem leoni ⟨s⟩i obdas oreas.*
Festus 182 M, 198 Linds.

leonis Farnesianus Festi teste Lindsayio, neque igitur hiatus traditus est, ut Ribbeck putat qui *leoni* in codice esse dicit. — *item* pro *autem* scripsit Ribbeck, ne verbum spondiacum finiatur in secunda arsi senarii iambici sequente voce polysyllaba. Tamen non fugienda fugit Ribbeck. Sunt enim complures versus nobis servati in Plauti fabulis quorum pes secunda fingitur una voce spondiaca ante vocem plurium syllabarum. Cuius generis versuum exempla Leo congessit in libro qui inscribitur Der saturnische Vers (pg. 27):
Capt. 118: *Satis ést numquám postilla;* Merc. 570; Pers. 465; Poen. 1093; Ter. Heautt. 467. Neque igitur tangere debemus *autem,* etsi quomodo hic versus cum antecedentibus coniunctum fuerit, non videmus.

27/28. *Qui decumas partes? quantum* || *alieni fuit,*
Polluxit tibi iam e. q. s.
Priscianus 874 P.

Hermann (opusc. II pg. 280) addidit *mi* ante *alieni* non suo iure, nam qua nititur verbi forma *polluxi,* ex ipsius tantum coniectura legitur in editionibus.

52. *In alto navem iubet destitui* || *anchoris.*
Nonius 280, 1.

Multa sanando versui proposuerunt viri docti, nihil quod versus sententia flagitaret. Et Buecheler[1]), item quicquam deesse negans, *iūbet* commendavit, nisus uno *ioubeatis* in senatus consulto de Bacchanalibus invento. Froehde[2]) autem hanc sententiam refutare conatus culpam in neglegentiam scriptoris senatus consulti conferre voluit. Item de inciso *ioubeatis* iudicavit Sommer (Handbuch d. lat. Laut- und Formenlehre², 1914, pg. 557). Certe hic versus hiatus testis non est.

---

1) annal. philoll. 1867, pg. 68.
2) Bezzenbergers Beitr. 16 pg. 220.

77. *Alibi manus est occupata,* || *alii percellit pedem.* Naev. com.
Isidor. origin. I, 25.

Bonus versus quem qui corrigere vult, corrumpit neque Muellero[1]) contigit, ut *illi* ante *alii* insertum comprobaret. Sed versum sequentem cuius initium sic traditum est: *alii dat anulum aspectandum,* non ita constituere debemus, ut hiatus oriatur.

81. *Utrubi cenaturi* || *estis, hicine an in triclinio?*
Charisius 198 P.

De hoc versu sub v. 115 agam.

88. *Qua pro confidentia* ⟨*a*⟩*usus verbum cum* || *eo fuerim Facere* ⟨*rusus*⟩.
Charisius 193 P.

Vel sic vel ut Ribbeck voluit vel aliter verba tradita in versus disponas, de versuum conexu *cum eo* dubitare non possumus.

96. . . . *si umquam quicquam filium rescivero.*
Gellius II, 19, 6.

Hic versus in initio corruptus est. Neque hiatus in initio *si* || *unquam* constituendus est neque Ribbeckii Bergkiique coniecturam *si* ⟨*c*⟩*umquam* accipere debemus.

98. *Extemplo illo te ducam* || *ubi non despuas.*
Gellius ibidem.

Errat Maurenbrecher (l. l. pg. 115) qui hunc versum hiare debere putat, ut evitetur verbi *ubi* mensura iambica. Quam mensuram in quarta arsi quam diaeresim esse posse docuit Jacobsohn[2]), loci naturae bene respondere puto. Ergo hiatus non est.

110. *Eum suus pater cum pallio* || *uno* || *ab amica abduxit.*
Gellius VII, 8, 5.

115. *utrum scapulae plus an collus calli* || *habeat nescio.*
Nonius 200, 25.

---

1) Plaut. Pros. pg. 592.

2) Quaestiones Plautinae.

Naev. com. Multis modis amoveri potest hiatus neque vero quisquam poetae formam versus sese invenisse putabit. Additamento enim sententiarum conexus minime indiget. Hermanni autem coniectura *habeat calli* dirimit verba vocali *c* inter se conglutinata.

Mirum autem quod cum hoc versu a Nonio allato non modo alter versus eiusdem grammatici comparari potest, sed etiam Charisius septenarium trochaicum plane eodem modo confictum affert:

Nonius 136, 7 = Naevius Guminasticus II (53 R):

utrum est melius: virginemne an viduam uxorem ducere?

et Charisius 198 P = Naevius Tarentilla IV (81 R.):

utrubi cenaturi estis, hicine an in triclinio?

Denique accedit quartum exemplum: Acci versus 479 quem Priscianus (pg. 686 P) servavit:

Sed utrum terrae motus, sonitusne inferum,
Pervasit auris inter tonitra et turbines?
terraene Buecheler, *terrai* Luc. Mueller.

Omnes hi versus sanarentur, si muta littera cum liquida coniuncta etiam apud Naevium Acciumque brevem syllabam producere possent. Sed recte negant viri docti in prisco sermone latino hoc fieri posse. Tamen alia via nobis patet quam ut sanemus hos versus, ingredi licet. Etsi de origine verborum latinorum *ut ubi uter* lis est inter viros lingua peritos, tamen maxime arridet eorum sententia qui haec verba coniungunt cum oscis verbis: *puz*, *puf*, *pútereípíd*, *pútúrúspid*, umbricis: *pufe, podruhpei* et, his formis nisi, cum graeco verbo: πότερος. Quare hanc esse radicem veri simile est: **q̯uotero-*, *-t-* et *-r-* vocali *-e-* secretis [1]). Quam formam si etiam in sermone latino prisco nonnumquam auditam esse concedis, omnes illi quattuor versus sani sunt [2]). In Naevi versu **81** non est

1) Neque vero *-e-* et *-ú-* vocales oscas quicquam valere ad probandam sententiam prolatam contendo, quippe quas anaptyxis genuerit.

2) Hanc sententiam Wendland professus est: „idg. sowohl **qvoteros*, **qvuteros*, wie **quotros*, **quutros*, die zweisilbige Form z. B.

ob eam rem hiatus post *cenaturi*: . . . *utrubí cenaturi* Naev. com. *estis* e. q. s. cf. Leo Pl. F.[2] pg. 323 ann. 4.

ENNIUS[1]).

SCENICA.

55. *Ubi illa paulo* || *ante sapiens virginali modestia?*
Cic. de div. I, 31, 66.

Totus hic versus incertus est, nam in fine quoque offensionem inesse docet anapaestus diremptus[2]). Quare ut hiatus exemplum hunc versum sumere non audeo.

62. *Men obesse, illos prodesse, me obstare, illos obsequi.*
Cic. eodem loco.

men Voss. 84, Vindob. $\frac{189}{\varphi 208}$.

me ||| Voss. 86, Heinsianus 118.

Veri simile est loco rasurae in Voss. 86 (B) et Heinsiano fuisse *-n*, ut nostro iure contendere liceat traditum esse *men*, non *me*[3]).

76. *Nam maximo saltu superabit gravidus armatis equus,*
Qui suo partu ardua perdat Pergama.
Macrobius Sat. VI, 2, 25.

Leo[4]) *qui* — *Pergama* anapaestos esse dicit, ne *ardua* in trochaeis agnoscere cogatur, et inter *partu* et *ardua* spatium imprimi iussit. Neque vero hiatus inter singula

---

in lit. *katràs* 'uter, quis'. An sich besteht die Möglichkeit, daß ital. **quutro* aus **quutero* synkopiert ist; ebenso kann *utero* sich natürlich vereinzelt gehalten haben".

1) ed. Vahlen[2], Berlin 1903.

2) Leo Pl. F.[2] pg. 290 ann.

3) Quantum prima manus valeat codicis Voss. 86, docuit Dieckhoff, De Ciceronis libris de natura deorum recensendis. Göttingen Diss. 1894, pg. 79.

4) De tragoedia Romana, Prgrm. Göttingen 1910, pg. 21.

Enn. scen. metra excusari potest: „Einzelne Hiate zwischen den metra sind nicht anders als andre Hiate bei Plautus zu beurteilen“ [1]) scilicet in systematibus anapaesticis. Quare anapaestos esse nego et Naevi versus (trag. 37/38) conferendos propono

. . . *odérunt di homines iniurios* iambi vel trochaei
Egone an ille iniurie (— ◡ — ◡ — ◡ —)
Facimus . . .

i. e. finis septenarii trochaici vel versus iambici et dimeter trochaicus catalecticus et initium septenarii trochaici. His ergo versibus collatis quos Leo ipse sic dispescuit, Enni quoque verba sic dimetior:

Nam maximo saltu superabit gravidus armatis equus
Quí suó partu árduá (— ◡ — ◡ — ◡ —)
Perdat Pergama . . .

i. e. octonarius iambicus et dimeter trochaicus catalecticus et initium septenarii trochaici vel versus anapaestici.

Eandem formam versus invenies in Titini versu 130 quem infra tractabo pg. 58/59.

87. *Auxilio* || *exili* || *aut fuga freta sim* cretici.
Cic. Tusc. disp. III, 19, 44.

Utrumque hiatum comprobavit Jacobsohn [2]). In arsi secunda primi cretici hiatum vel syllabam ancipitem praebent Aul. 142; Most. 328, 702; Men. 576.

142/144. *Suarum rerum incerti quos ego mea* || *ope ex*
Incertis certos compotesque consili
Dimitto e. q. s.
Cic. de oratore I, 45, 199.

Hunc versum corrigere conatus est Reisig [3]) transpositis verbis *mea* et *ope* quem secutus est Leo [4]), ita ut *ope* quintam arsim efficiat. Tamen haud scio an *ego* et *mea*, nulla voce dirempta, bene tradita sint [5]) et accedit,

1) Leo Die plautinischen Cantica, pg. 23.
2) Quaest. Plaut. Diss. Göttingen 1904, pg. 21.
3) Coniect. in Aristoph. pg. 71.
4) Litgesch. pg. 190, ann. 2. 5) Kaempf pg. 19.

quod eae formae vocis *mei* quae synizesi monosyllabae fieri possunt, in quinta arsi senarii iambici non raro inveniuntur[1]. Quare mutare nolo, tamen haereo incertus.

159. *castrisque castra || ultro iam ferre occupat.*

Nonius 355, 19.

Non *castra castris ferre* legimus apud scriptores antiquos, sed *conferre*; cf. ea quae Vahlen attulit et imprimis Thesauri L. L. uberem exemplorum copiam (III, 555, 29).

177. *At ego || omnipotens te exposco ut hoc consilium Achivis auxilio fuat.*

Nonius 111, 19.

a ego L; *auxilii* cdd., corr. Vossius.

Sine dubio sic falso trochaicum pentametrum descripsit Vahlen, nullum enim firmum quo hoc metrum Enni fuisse confirmaret, exemplum attulit (ad versum 130). Exempla autem haec sunt:

12. *Eo ego ingenio natus sum: amicitiam atque inimicitiam in frontem promptam gero.*

Quocumque modo hic versus dimetiendus est, sic falsum esse ostendit anapaestus qui dicitur diremptus: *nátus | sum amícitiam* e. q. s.

Versum 104 Vahlen ipse in annotatione dividi posse in duos confitetur. Item versus 130 post *advocant* incidi potest, ut finem senarii iambici senarius alter sequatur[2]. Neque frustula versus 184 certi quicquam afferunt. Versum 186 Lindsay quoque in editione sua (II pg. 758) aliter dimetitur.

Neque Acci versus 162 quem Vahlen[3] pentametrum trochaicum esse contendit, testimonium est (cf. Lindsay Nonius I pg. 208, 20/21 = 143 M.).

---

1) G. Jachmann, Marburg 1912, studia prosodiaca. *ego* in quarta thesi saepius cf. Capt. 697; Ramain Revue de philol. 1905, pg. 234 sq.

2) qui explendus est voce trisyllaba a vocali incipiente velut *omnia* vel simili vocula.

3) opusc. II pg. 449.

Enn. scen. Ergo Enni versus 177 omni fundamento caret et item hiatus. Tamen ne id quidem quod Lindsay proposuit (in editione Nonii I pg. 159) mihi arridet:

. . . át ego omnipotens
Téd exposco ut hoc consilium Achivis auxilio fuat.

Praecedente enim fine trochaici alicuius versus Lindsay inde a verbo *ted* constituit septenarium trochaicum. Sed certis causis minime mihi videtur stabilitus esse hic versus septenarius cuius ex antecedente nullo versu argumentum sumi potest, neque una sola forma est septenarius trochaicus. Nam sic quoque verba tradita in versum dividi possunt:

te expósco ut hoc consilium Achivis auxilió 6 *fŭăt* 7— ∪ 8—:
hic est enim octonarius iambicus cui deesse potest diaeresis. Nam Terentius quoque saepe caesuram post quintam thesim posuit.

200. *Nám cum* || *opulenti loquuntur pariter atque ignobiles.*
Gellius XI, 4, 3.

Nam opulenti cum loquuntur commendavit Porson, fortasse recte, certo non contra usum sermonis prisci[1]).

Amph. 91/92:

Etiam, histriones anno cum in proscaenio hic
Jovem invocarunt, venit, auxilio is fuit.

Ergo item subiectum sententiae a *quom* ordientis ponitur ante *quom*, etsi aliud est atque sententiae sequentis. Cui simile exemplum est Trin. versus 523. Praeterea alia quoque verba quae poeta maiore aliqua vi auditoribus offerri vult, nobili loco ante *quom* collocantur, velut Capt. 73, 615; Merc. 295; Bacch. 536 = Most. 1128; Truc. 191; Ter. Eun. prol. 22; Ad. 166/167. Neque scio an in Enni quoque versu accentus sententiae ponendus sit in verbo *opulenti*. Nam, cum Hecuba Ulixem in opulentorum numerum numeret, haec sententia causam dicit, cur Ulixem facile Achivos flectere posse putet. Certe paulo aberrat deinde sententiarum conexus, sed propterea

1) cf. Bennett, syntax pg. 79—86, 133—135, 141, 302/3.

quod sequi voluit Ennius sententiarum constructionem, — Enn. scen.
verba hic non dico, sed sententiarum formas — qualem invenit in Euripidis versibus, et graecis verbis αὐτὸς οὐ ταὐτὸν σθένει verba *aequa non aeque* respondere iussit[1]).

238. *otioso in otio ⟨homini⟩ || animus nescit quid velit.*

Gellius XIX, 10, 12; sic Leo De trag. Rom. pg. 15, sed certi nihil affert hic versus.

290. *Hoc ego tibi dico et coniectura auguro.*

Nonius 469, 9.

Ex omnibus Enni versibus qui nobis traditi sunt, unus hic versus *tibi* iambica forma praeditum habet[2]). Nam in aliis versibus sitne *i* longa an brevis diiudicari non potest. Idem cadit in verba *mihi* et *ibi*. Praeterea versus ut traditus est caesura caret, ergo falsum esse eum apparet. Accedit autem, quod, ut docet Kaempf[3]), apud Plautum „in sermone affirmativo saepius" legitur *tibi ego:* Curc. 516; Mil. gl. 217, 434; Pseud. 243; (similiter Pseud. 227; Trin. 518). Quare ut pravum accentum huius versus evitemus, hunc verborum ordinem propono:

Hoc tibi ego dico et coniectura || auguro.

Sed qui vult vitare Charybdem, incidit in Scyllam, hiat enim versus bene accentus. Neque vero certum exemplum hiatus est, nam veri simile est verbis in initio prave mutatis in fine versus breve aliquod verbum, tunc supervacuum excidisse, fortasse *id* quod verbum saepe recipere et repetere antecedentem vocem velut *hic* vel similes docuit Bach[3]), cf. optimum exemplum Men. 480:

Ait hanc dedisse me sibi, atque eam meae
uxori surrupuisse e. qu. s.

---

1) Item sententiam condicionalem Aeschyli repetiit Ennius in Eumenidibus (147) ... εἰ μή τι τῶνδ' ἔρξαιμι τοὺς ἐπαιτίους, *nisi patrem materno sanguine exanclando ulciscerem* cf. Leo Litg. pg. 190, ann. 2.

2) Excepto annalium versu 45, sed de mensura huius vocalis accentae in hexametro Enniano iudicare non possumus.

3) l. l. pg. 17 ann.

4) Studemund Studien II, pg. 350 sqq.

Enn. scen. Alterum exemplum praebet Accius:

497. . . . *atque ea coniectura auguro.*

Quare Enni versum sic restituerim:

Hoc tibi ego dico et coniectura ⟨id⟩ auguro.

299. *Neque tu* || *umquam in gremium extollas liberorum ex te genus.*

Cicero orat. 46, 155.

tuum Abrincensis pro *tu* in quo tradito ceteri codices consentiunt. Vahlen Homerum ducem secutus Il. IX, 453 sqq.:

πατὴρ δ' ἐμὸς αὐτίκ' ὀισθεὶς
πολλὰ κατηρᾶτο, στυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐρινῦς,
μή ποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν
ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα·

restituit versum Enni, cum *meum* inserebat post *tu*. Ita enim sine dubio Homeri verba interpretanda sunt. Neglexit vero Vahlen, quod in Abrincensi extitit testimonium verbi *tuum* quod bene versui mederetur. Hoc si verum esset, ex Enni verbis talis sententia evaderet: *ne tibi umquam pueri nascantur* [1]). Et eadem sententia ex Homeri verbis elucet qualia ea fuisse dicit is quem Aristonicum dicunt: Σ Veneti: ἡ διπλῆ ὅτι τινὲς γράφουσιν ἐμοῖσιν λέγει et sequitur quae non acriter rem respicit, refutatio [2]). Concinnunt ergo et Homeri varia lectio antiqua et quod servavit Abrincensis. Quare rectum esse puto *tuum* et testimonio esse hunc versum Ennium, ut commentarium legit Medeae Euripidis [3]), sic etiam Homeri fortasse editionem Alexandrinorum notis instructam, certo versum Iliadis aliter constitutum legisse atque nos.

---

1) *neque* in sententiis prohibitivis cf. Bennett syntax pg. 170.

2) γούνασ' ἐμοῖσιν: ne offendat elisio, conferas quae dicit Monro Homeric Grammar [2] § 376, 3. De ι elisa conferas nunc, quaeso, quae paucis verbis monet Wilamowitz (Neue Jahrbücher 1914, pg. 242 „Neue lesbische Lyrik").

3) Leo Pl. F. [2] pg. 98

ANNALES.

28. *Cum suo || obsidio magnus Titanu(s) premebat.*
Nonius 216, 34.
Sensus mutationem postulat.

67. *Postquam consis . . . se fluvius qui || omnibus princeps.*
Fronto de orat. pg. 160 Nab.; Cic. orator. 48, 161.
Sic cum hiatu in Frontonis codice hoc loco valde mutilato; accedit autem Ciceronis testimonium: *qui est omnibus princeps.*

192/3. *Qui antehac invicti fuere viri, pater optime Olympi,*
Hos ego || in pugna vici victusque sum ab isdem.
Orosius hist. IV, 1, 14.
Cum constet Ennium heptametros non finxisse, priorem versum falso traditum esse apparet. Sed ex hoc etiam alterum versum in suspicionem voco neque eum testibus hiatus adnumerare audeo. Quare obloquor Alfredo Siedow [1]).

270/1. *nec maledictis*
Miscent inter sese inimicitiam || agitantes.
Gellius XX, 10, 4.
Recte monuit Vahlen non bene coniungi *agitare* cum singulari forma neque umquam fit, nisi semel Cicero dicit (pro Sull. 60): *dissensio . . . cum iam inveterasset ac multos annos esset agitata.* Neque vero hic singularis a verbo *agitandi* pendet, sed hoc verbum, cum iam de una dissensione illa dictum sit, tantum voci *inveterasset* adnectitur. Itaque recte suspicioni est singularis illa forma versus Enniani, suspicioni item hiatus in quinta arsi positus [2]).

307. *Qui tum vivebant homines atque aevum || agebant.*
Cicero Brut. 15, 58 quem excerpsisse Senecam Gellius (XII, 2, 3) nos certiores facit.

---

1) De elisionis aphaeresis hiatus usu in hexametris latinis ab Ennii usque ad Ovidii tempora. Diss. Greifswald 1911, pg. 61.

2) Leo de *inimicitias* non dubitavit.

Cicero: *aevum* || *agebant*, Gellius: *aevum agitabant*.

Qui *agebant* defendere vult, dicit Ciceronem, cum in priscorum poetarum operibus hiatum inesse sibi persuasisset, non mutavisse verba, dummodo fuisset, Senecam autem correctura vix se abstinuisse. Fortasse igitur Ciceronis plus quam Senecae testimonium valere. Sed cave ne aequo plus tribuas codicum fidei. Nam quominus *agebant* Enni fuisse putemus, impedit nos, quod Vergilius Enniani ille sermonis studiosissimus, scribit (Georg. IV, 153/4):

. . . *consortia tecta*
Urbis habent, magnisque agitant sub legibus aevum

(cf. Serv. auct. ad Aen. X, 235, Thes. L. L)[1]. Et congruit cum hoc testimonio, quod amat Ennius frequentativis verbis uti velut *aditare*, *adventare*, *agitare*, *ductare*, *gestitare*, *natare*, *quaeritare*, *receptare*, *volitare* quorum exempla index Vahleni affert. Hae igitur causae adiuvant *agitabant* quod Gellius tradit, Ciceronis autem testimonium debilitant. Quare in Enni versu *aevum agitabant* scribere malo[2].

332. *Insignita fere tum milia militum* || *octo.*
Priscianus I, pg. 30, 5 H.

Verba quae nulli offensioni sunt, mutare non licet. Cf. Lachmann comm. in Lucr. II, 466 pg. 99/100; Leo Pl. F.[2] pg. 331.

494. *Dum quidem* || *unus homo Romanus toga superescit.*
Festus 302 M.

535. *Cum* || *illud quo iam semel est imbuta veneno.*
Festus 376 M.

Certo in initio verbum aliquod periit quod versum explevit.

---

1) Minime contendo Vergilium ipsum quem tractamus versum respexisse, sed consuetudinem quandam sermonis Enniani.

2) Lachmann comm. in Lucr. pg. 99/100.

SATURAE.

8. *Nam || is non bene vult tibi, qui falso criminat*
Apud te ...
Nonius 470, 20.

Comprobare non possumus nihil excidisse in initio integrumque senarium nobis traditum esse; quare

. . . *nam is non béne* e. q. s.

dimetiri malo quam hiatus testimonium esse contendere.

VARIA.

3. *Scipio || invicte. . . .*
Cicero orat. 45, 152.

15. *Aspicite o cives senis Enni || imaginis formam.*
Cicero Tusc. disp. I, 15, 34.

Fortasse recte tradit Cicero Ennium sibi ipsum finxisse epigramma sepulcrale. Sed cum nesciamus, unde cognorit Enni esse hos versus, fidem ei habere non cogimur. Tamen etsi hic versus fortasse non ab Ennio scriptus est, quin redoleat artem Ennianam, non dubito. Cf. Lachmann comm. in Lucr. VI, 743, pg. 387, Leo Pl. F.[2] pg. 338.

34—44. Hedyphagetica peius tradita sunt, quam ut ex iis certi quicquam discere possimus.

45. *Nam videbar somniare me || ego esse mortuum.*
Cicero Lucull. ed. Plasberg 16, 51.
me et ego cdd, *med ego* Manutius.

Sed offendit *ego* iuxta *me* positum; Usener proposuit *me decesse.* Ergo *med* testimonii nihil habet. Cf. Leo Litg. pg. 200, ann. 7.

58. *Qua mortalis atque || urbes beluasque omnis iuvat.*
Varro de l. l. V, 65.

Suspicionem movet, quod in hoc versu miro modo *mortales, urbes, beluae* inter se coniunguntur. Neque enim voci *urbis* commune quicquam est cum verbis *mortales,*

Enn. var. *beluae* quae coniunguntur optime. Praeterea nulla causa est, cur ipsae urbes in hoc sententiarum conexu commemorentur. Quare hoc verbum valde dubium est, ita ut etiam hiatus testimonio certo careat.

CAECILIUS.

8. *Sed ego stolidus; gratulatum me* || *oporte⟨b⟩at prius.*
Festus 317 M.

med proposuit Bothius, sed falso, nam inter *me* et *oporteat* maiorem esse lacunam in codice Ribbeck dixit, Lindsay in editione sua (pg. 418, 7) magnis spatiis impressis confirmare videtur. Id quod comprobat complures litteras excidisse. Compara etiam editionem Thewrewkianam (pg. 460, 20).

40. . . . *nam hic in tenebris intus sese abscondidit.*
Nonius 75, 22; Leo Pl. F.[2] pg. 331.

Hoc frustulum senarium esse integrum comprobari non potest neque testimonium certum hiatus. — Falso Lindsay a *nam* septenarium trochaicum incipit, *abscondit* in versum accepto. L enim tradit *abscondidit* cuius codicis scripturam repudiare nobis non nisi gravibus causis motis licet.

61. *Quī,* || *homo inéptitudinis cumulatus, cultum oblitus es?*
Nonius 128, 13.

Qui ablativus est. Distinxit Lindsay.

68. . . . *quae*
Narrare inepti || *est scutras ferventis. — Quin machaera*
Licitari adversum ahenum coepisti sciens.
Nonius 134, 15.

quae obiectum est verbi narrandi, *scutras ferventis* ergo aliter in sententia locum suum servare debent. Et verba sequentia docent, quale fuerit genus ioci, nempe cum vaso quasi cum homine pugnavit aliquis qui nunc alterum narrantem nescioquid reprehendit, quod narrat

et narrando impedit interpellatque ceteros, quamquam scutrae ferveant. Et hanc sententiam bene Ribbeck constituit, cum insereret *ad* ante *scutras*[1]). Caecilius.

71. . . . *vide luculentitatem* || *eius et magnificentiam.*
Nonius 135, 2.
Hiatus in diaeresi septenarii trochaici.

74. *Prodigere est, cum nihil habeas, te* || *inridier.*
Festus 229 M.
te inrid⟨er⟩ier Lindsay.

77. *Abi hinc tu stolide:* || *illi* || *ut tibi sit pater.*
Festus 317 M.
illi quid sibi velit, non video neque Ribbeckianum *illic* intellego, quid sit. Versus corruptus est.

105. *reluat quod viva ipsi* || *opposuit pignori.*
Festus 281 M.
Sic Maurenbrecher versum dividit[2]). Sed dubito an recte. Nam perraro in tertia arsi senarii iambici verbum spondiacum vel anapaesticum finitur[3]). Et in tribus versibus Plautinis (Trin. 427, Bacch. 1065, Poen. 151) non tam intercisio sermonis quae fit ante vel post hoc verbum, formam spondiacam excusat, quam quod verbum sequitur encliticum velut *quas*, *me*, *mihi*. Quare haec mensura spernenda est in hoc versu et accipienda quam Scaliger proposuit, forma *opposivit*[4]). Cf. infra pg. 72.

---

1) „De versu nihil affirmo“ addit Ribbeck. Neque vero dubitare debuit de versibus dissimilibus inter se coniunctis. Compares ea quae Leo obiter dixit (De tragoedia Romana pg. 11): „Neque Accii aliorumve tragicorum (addo: comicorumque) magis est quam Terenti atque Plauti easdem semper versuum species conserere; quod cum non cognosceret Ribbeck, permultis praeter necessitatem fragmentis scaenicorum suorum vim fecit“. Cf. Jachmann stud. pros. pg. 14, ann. 15. Simile exemplum ipse Caecilius praebet in versibus 79/80.

2) Hiat und Verschleifung im alten Latein pg. 218/9.

3) Ritschl proll. ad Trin. pg. 218/19, cap. XV.

4) Sommer Handbuch pg. 606. Cf. ed. sec. pg. 573. (De Eunuchi v. 912 *supposivit* pro *supposuit* cf. Leo Pl. F.² pg. 2, ann. 2).

Caecilius. **111.** . . . *meminí* || *ibi candelabrum ligneum ardentem* . . .
Nonius 202, 14.

In hoc versu hiatum traditum esse putat Maurenbrecher[1]). Neque vero video quibus causis in hoc frustulo hiatus comprobari possit.

121. . . . *depositus modo*
sum || *anima, vita sepultus sum.*
Nonius 279, 42.

Sic verba tradita fortasse disponenda in versus. Sed Ribbeck deleta altera voce *sum* baccheos agnoscere sibi visus est neque mihi persuasit.

168. *Consequitur comes insomnia;* || *ea porro insaniam affert.*
Nonius 209, 16.

Hiatus in diaeresi septenarii iambici, versus quadrati comici, vel duo senarii quorum alter ex *ea* incipit.

181/2. *insanum auspicium* || *aliter histrionum* || *est*[2])
atque ut magistratus, publice cum || *auspicant.*
Nonius 468, 28/9.

Versus prior sine dubio corruptus est; neque enim conspirat cum versu sequente. Nam *magistratus*, ut docet *auspicant,* nominativus vel accusativus pluralis est, sed sententiae alicuius primariae cuius sententia secundaria haec: *publice cum auspicant.* Nam *atque ut* et *cum* in unam sententiam conferre non possumus. Quae si recte conclusa sunt, verba *aliter histrionum est* — hanc sententiam coniungendam esse cum sequente apparet ex verbis *atque ut* — depravata sunt magis, quam ut inserto uno *haut*[3]) efficiamus ut ambae sententiae perlucide inter se cohaereant.

---

1) l. l. pg. 219.

2) Vel sic verba tradita in versum disponas:
insanum || *auspicium aliter histrionum* || *est,*

3) quod addidit Spengel. Et Lindsay item in Nonii editione versum saucium esse concedit et annotat: fort. *num aliter istrionum.*

186. *Opulentitate nostra sibi* || *iniuriam faciam . . .* Caecilius.

Nonius 146, 14.

Litterae traditae intellegi non possunt. Quonam modo *nostra* et *sibi* et *faciam* in unam sententiam cogere vis? Quare aliquid mutandum est et propterea iam non licet contendere hiatus testimonium certum inesse in his versibus. Tamen veri simillimum est *faciam* corruptum esse ex *factam* (sic Mercerus) et tunc quidem exoritur sensus integer huius versus. Ribbeck post *sibi* inseruit *esse*, ut *sibi esse* in quarta arsi senarii iambici corripiatur secundum legem iambica verba corripiendi. Sed ostendit Marx[1]) in illa arsi syllabam longam cui praecedit syllaba brevis, non corripi nisi ambae syllabae unius verbi sunt: „Ist die drittletzte Thesis (quam nos vocamus arsim) der jambischen Senare und Dimeter, sowie der trochäischen Septenare in zwei durch Wortschluß getrennte Kürzen aufgelöst, so werden beide Kürzen aus von Natur kurzen Silben gebildet: die Verkürzung eines positionslangen Wortanfanges ist nur bei ille und iste, die Verkürzung eines Monosyllabons nur bei Terenz und Accius gestattet". Ergo accipi non potest quod proposuit Ribbeck, *esse* post *sibi* collocatum.

210. *Serit arbores quae* || *alt[e]ri saec[u]lo prosi⟨e⟩nt.*

Cicero Cato mai. 7, 24.

Non secundum morem sermonis prisci latini adempta est littera *e* voci *alteri*. Nam perpaucis tantum locis poetae usi sunt forma bisyllaba:

Naev. com. 23/24: *Altrís inanem volvulam madidam dari*
Altris nuces in proclivi profundier.

Capt. 8: *Altrum quadrimum puerum servos surpuit.*

Pers. 226: *Úbi illa altra ést furtifica laeva? Domi eccam* e. q. s.

Truc. 48: *sin alter altri propitiust, idem perit.*

---

1) rell. societ. Sax. 1907, pg. 129.

(Ausonii versus 371, 7 ⟨ed. Peiper pg. 101⟩: in huius hexametri fine vel *alterò* episynaloepha coniungendum cum versu sequente vel bisyllabum *altro*).

saeculum utramque mensuram praebet in fabulis Plautinis, est enim vel bisyllabum vel trisyllabum, cf. Trin. 284.

Quare veri simillimum est versum qualem supra conscripsi, falso divisum esse. Sed recte G. Hermann creticos dimensus esse mihi videtur:

. . . *serit árborés quae alteri saeculo prosi⟨e⟩nt.*

213/4. Cicero de natura deor. I, 6, 13; Plasberg (in annot.) Caecili verba haec fuisse putat:

⟨perii⟩ in civitate fiunt facinorá capitalia

⟨ubi⟩ ab amico amante argentum || acciperé meretrix nevolt.

Num quis confirmabit nulla verba deesse in versibus quos Cicero commemorat? Praeterea cumulat editor ut nusquam poeta cumulasse videtur raras species metricas. Equidem nolo de his verbis statuere quicquam.

227. . . . *hic dum || abit, huc concessero.*
Nonius 270, 10.

229. *nunc meae militiae Astutia || opus est subcenturia⟨re⟩.*
Festus 306 M.

242. *Qui aetátis quod relicuum est oblectem meae* [1]).
Cicero pro Caelio 16, 37.

Falso iudicat Maurenbrecher (pg. 167) qui dimetitur: *qui || aétatis.*

261. *Cui || in manu sit, quem esse dementem velit.*
Cicero Tusc. disp. IV, 32, 68.

Sed *cuii* scribendum esse vidit Ribbeck, cf. Pomponius 146; item Sommer pg. 465, ed. sec. pg. 445, qui haec exempla affert: Asin. 459; Aul. 189; Men. 493. Cf. Leo Pl. F.[2] pg. 337.

---

1) Item accinitur *relicuum* Asin. 233.

PACUVIUS.

5. *Ita saeptuose dictio* || *abs te datur.*
Nonius 170, 13.
Versus formam tuetur Leo[1]).

17. *sed cum* || *animo attendi ád quaerendum quid siet.*
Nonius 238, 15.
animum proposuit Junius.

32. . . . *et aecum et rectum* || *est quod postulas.*
Nonius 261, 13.
Sed dubito, an recte hic versus traditus sit, cum *rectum* ante encliticum *est* positum sit quae collocatio paene dixi refragatur naturae encliticae verbi *est.* Neque hunc versum pro testimonio hiatus habere volo.

67. *Mi gnate,* || *ut verear loqui porcet pudor.*
Nonius 160, 1.
Sed hic versus caesura caret, quare quod Junius commendavit, *eloqui* necessarium est remedium mensurae.

72. *Semper satis agere ut ne* || *in amore animum occupes.*
Nonius 355, 30.
semper sat Bothius; *super satis* codd.

93. *Mater terrast: parit haec corpus, animam* || *aether adiugat.*
Nonius 75, 9; *animam — adiugat* Varro de l. l. V, 60.
Transposuit verba Ribbeck quae sic tradita sunt:

Mater est terra, ea parit corpus, animam aether adiugat.

Neque veri simile est arsim hoc loco versus effici brevibus syllabis duorum verborum, nam exempla quae Klotz[2]) affert, Merc. 451, Stich. 537 nihil valent. Sin autem in duos versus verba disponuntur:

. . . *máter est terra, ea parít*
corpus animam aether adiugat . . .

1) De tragoedia Romana, Prgrm. Göttingen 1910, pg. 18.
2) Altrömische Metrik pg. 259.

Pacuvius. *corpus* et *parit* magna cum offensione dirimuntur. Denique si transponere vis, de hiatu omnis exoritur dubitatio. Quare eximendum censeo hunc versum ex exemplis hiatus.

150. *Sed mé || incertat dictio: quare expedi.*
Nonius 123, 30.

Cur non sic in septenario trochaico: *Séd me incértat* e. q. s.?[1]).

237. *Qua super re || interfectum || esse dixisti Hippotem.*
Festus 305 M; 394, 20 Lindsay.
dixisti Hippotem Ribbeck; *Hippotem dixisti* Festus.

Sed ignorare malo quae fuerint Pacuvi verba, quam Ribbeckium sequens scire videri[2]). Nam verba in fine mutata omnino septenarium trochaicum dubium faciunt. — L. Mueller[3]) mutatis ultimis verbis senarium legere voluit *super* ante *re* pro pyrrhichico habito.

248. *Pariter te esse erga illum video, ut illum te || erga scio.*
Nonius 375, 7.

illunc erga te Umpfenbach. Tamen ordinem traditum servare malo. Nam etsi illi versus Plauti Terentique in quibus *erga* pronomini praecedit[4]), numero superant eos in quibus *erga* sequitur, tamen tot exempla praesto sunt, ut *te erga* servemus[5]). Et hoc quoque multum valet: apud Plautum enim et Terentium semper *ergá me* accinitur.

Tres tantum versus videntur obstare. Sed in versu 1232 Mil. gl. falsus accentus ex correctura natus est:

---

1) *quam rem* traditum est, *quare* ex recentioribus deterioribusve codicibus sumptum, neque id bene. Nam tribus tantum locis Ter. Ad. 327 et in Eunuchi prologo (11, 42) legimus *quare,* neque usquam alibi in sermone prisco latino, neque apud Plautum neque in fragmentis. Quare fortasse recte Buecheler sic distinxit: *quam rem? expedi.* Sic Leo.

2) Buecheler Philologische Kritik, Bonn 1878, pg. 11.

3) De Pac. fab. p. 35, cf. Koterba Diss. philol. Vindob. VIII, 3, 1905, pg. 135.

4) Amph. 1101; Aul. 792; Capt. 350; Cist. 109; Mil. gl. 636, 1232; Pseud. 1020; Rud. 1389; Trin. 619. Andr. 820; Hec. 389, 486, 489.

5) Asin. 20; Capt. 245, 416; Epid. 390; Heautt. 189, 265.

benignusque érga me <ut> siet, quod cupiam ne gravetur.

Item versus 1389 Rudentis scrupulum movet:

Quando ergo érga te benignus <ego> fui atque opera mea.

Restat denique Pseudoli v. 1020 qui integer videtur traditus esse:

ne malus item erga me sit út erga illum fuit,

quem sic legendum esse Leo ostendit suprascripto accentus signo. Sed cum tali modo prave accinatur *érga mé,* quaerendum possitne alio modo versus mensura constitui. Accedit autem alterum quoque idque gravissimum, quod quominus accipiamus mensuram a Leone propositam, nos impedit. Nam ut supra (pg. 37) monui, *ŭt erg* non possunt corripi in quarta arsi senarii iambici [1]). Sed priusquam mensuram versus constituemus, duo praemonenda sunt. Primum hoc: — *s* post brevem vocalem elidi posse ante vocalem veri simillimum mihi videtur secundum ea quae Leo docuit in quinto capite quaestionum Plautinarum. Alterum hoc: vocalis *i* coniunctivi praesentis personae tertiae longa esse potest. Cuius mensurae exempla sunt haec: Mil. gl. 242, 1186; Pers. 596; Truc. 433, 442 [2]). Quare sic dimetior versum Pseudoli:

ne malu(s) item ergá me sít ut erga illum fuit.

Umpfenbachium ergo si sequeris, in versu Pacuviano insolitus accentus *érga té* exoritur quem non nisi necessitate quadam coacti, opinor, restituere debemus.

293. *Tamen óffirmáto || animo mitescit metus.*
Nonius 406, 9.

Vel potius sic: . . . *támen offírmato animo* e. q. s.

303. *Beluarum || ac ferarum adventus ne taetret loca.*
Nonius 178, 6.

Bonus versus neque sensui quicquam deest. Sed errat Lindsay qui primum versum finiri posse dicit post *beluarum;* neque enim scio qualem versum esse putet verba *ac — loca.*

315. *Postquam defessus perrogitando || advenas.*
Priscianus pg. 634 P.

Cum perlustrarem exempla sententiarum quae a *post-*

---

1) De hoc versu (1020) Pseudoli disseruit Marx l. l. pg. 164 et in enumeratione versuum in annotatione huic versui ascripta (pg. 150).

2) cf. Müller Plaut. Prosodie pg. 68 sqq.; Lindsay Capt. pg. 13.

Pacuvius. *quam* incipiunt [1]), multa inveni in quibus sequitur verbum perfecti passivi *est* vel *es* addito, omisso *est* vel *es* non item. Quare *est* addendum esse Leo quoque sibi persuasum habebat. Neque vero post *defessus*, sed post *perrogitando* inseri iussit Leo.

364. *Graiugena de isto || aperit ipsa oratio.*
Cicero de natura deor. II, 36, 91.
istoc corr. Bothius.

369. *Insanam autem || aiunt, quia atrox incerta instabilisque sit.*
Auctor ad Her. II, 23, 36.

Post *autem* codices qui dicuntur expleti, *esse* addunt. Neque vero necessarium est cf. Thes. L. L. I, 1457, 66 sqq. Tamen remanet tenuis suspicio, servarintne verum codices expleti, voce *esse* non ab eo addita qui archetypum codicum expletorum formavit. Quare hiatus fundamentum labefactum est.

378. *Deinde aggrediar astu regem: manticulandum || est mihi.*
Festus 133 M. = 118, 10/11 Lindsay.

Teste Lindsayio ante *mihi* habent *hic* X = Vaticanus lat. 1549 et editio princeps anni 1500. Ille codex quamquam non multum valet tamen adiuvatur editione principe quam multum valere ad recensenda Festi fragmenta docuit Paulus Wessner [2]). Quare contendere non audeo, etsi W = Vaticanus 3369 illud „doctissimi viri chirographum“ [3]) non tradit *hic*, hiatum traditum esse:

Deinde aggrediar astu regem: manticulandumst hic mihi.

382. *Voce suppressa || innato fronte, voltu turgido.*
Nonius 204, 30.

Non hiatus, sed corruptela, *minato* Onions.

395. *Quid mé || obtútu terres, mulces laudibus?*
Pauli Festus 144 M.

Cur non: . . . *quíd me obtútu* e. q. s.

---

1) Bennett pg. 101 sqq.

2) Teuffel, Gesch. d. röm. Litt. II [6], pg. 144.

3) Lindsay in praefatione Festi pg. XIV.

ACCIUS.

10/11. *Clássis trahere in salum* || *et vela ventorum animae immittere.*

Nonius 234, 10.

Verba tradita nullo alio modo, nisi transponere vis, dividi possunt in versu: neque *classís* — *salúm* finem senarii iambici fingere possunt neque septenarii trochaici, cum in arsi quae est ante ultimum diiambum, vox trochaica non finienda sit, nisi forte vox quattuor syllabarum vel similis verborum conexus versum claudit.

13. *Quodsi, ut decuit, stares mecum* || *aut meus maestaret dolor,*
iam diu inflammari Atridae navis vidissent suas.

Nonius 137, 31.

quodsicut cdd., corr. Gifanius. — Ex Myrmidonibus hi versus sumpti. Achilles obiurgat Aiacem, quod non satis enixe attenteque rem communem, ut decuerit, egerit, ipsum Aiacem increpans neque alium quemquam in his verbis dicens. Et cum queritur dolorem non satis maestantem, minime loquitur in universum, sed ipsum unum Aiacem increpat. Quare *te* inserendum est et bene inseruit Mercerus post *meus*[1]).

53. *Tum autem Aegisthus si med eodem lecto comitasset patri.*

Nonius 85, 14.

Sed codices *me esse eodem* quod alii aliter corrigere conati sunt; quare hiatus testimonium non est.

57. *Sed striderat retracta rursum* || *inferis.*

Priscianus pg. 867 P.

Sed *rursus* et *rursum* saepe confunduntur in codicibus. Cf. Klotz (Altröm Metr.) pg. 105, 158; Leo Pl. F.[2] pg. 312, ann. 2; pg. 331.

82. *Cum patre parvos patrum* || *hostifice*
Sanguine sanguen miscere suo.

Nonius 224, 15.

patrium coniecit recte Bothius, cf. Leo Litg. pg. 402, ann. 1.

---

1) Kaempf l. l. pg. 20.

Accius. **84.** *Ut tam obstinato || animo confisus tuo.*
Festus 193 M.

85. *An mala || aetate mavis male mulcari exemplis omnibus.*
Nonius 1, 12.

Variis modis versum temptant transponendo, addendo, sed sensum — minime corrigendum — minime corrigunt neque forma sententiae mutatione eget.

103. . . . *neque qui te adiutem, invenio: || hortari pudet non prodesse id piget* . . .
Nonius 424, 3.

De hoc versu agam pg. 48.

113. *Immane te habet templum obvallatum ossibus.*
Nonius 323, 10.

Sic Ribbeck; *immanitate habet te* cdd. *immani tabe* Mercerus quod magis arridet quam quae Ribbeck coniecit.

148/9. . . . *nam tropaeum ferre me a forti viro*
Pulcrumst: si autem vincar, vinci || a tali nullumst probrum.
Macrobius sat. VI, 1, 56.

Hi versus sumpti ex Armorum Iudicio. Post *nullum* inseruit *mi* G. Hermann. Sed hic ex contrario disputare debeo atque cum de versu 13 egerim (pg. 43). Nam Ulixes in prima parte sententiae dixit pulcrum esse — non dixit sibi pulcrum esse — se non vinci; subiectum ergo addidit infinitivo. Item in altera parte satis fit sensui, si ex verbo *vincar*, cui probrum sit vinci, cognoscimus. Ergo minime addere debemus verbum *mi*. — Neve dubites de verbo *tali* in sexta arsi finito. Num scis, quam arte inter se cohaereant quae sequuntur verba *nullumst probrum?*

231. *Egone Argivum imperium adtingam? || aut Pelopis digner domo?*
Nonius 281, 6.

Sensus bonus est. — Nonne verba *digner domo* allitteratione inter se conglutinata verbum anapaesticum excusant in sexta arsi finitum?

267. *Melius pigrasse quam properasse || est nefas.*
Nonius 154, 1.

Semper mihi tractanti versus qualis hic est vel Caecil. 105; Ter. Eun. 912 qui corriguntur inserta prisca forma, incurrit suspicio correxerintne scribae codicum vel neglegentia vel consulto tradita verba, singulas voces, non formam versus respicientes. Quare recte fortasse *propera⟨vi⟩sse* scripsit Lindsay quod non „figuram perdit“ ut Ribbeck putat. Nam amant poetae accentum vel formam eiusdem verbi bis in uno versu positi mutare cf. Skutsch Philologus 1900, pg. 500; Norden comm. in Aen. VI, 316/7. Accius.

283. *Ergó me || Argos referam, nam hic sum nobilis, necui cognoscar noto . . .*

Nonius 351, 28 om. *ergo;* Festus 174 M.

me⟨d⟩ L. Müller. Sed melius sic: ... *érgo me Argos* e. q. s.

301. *Éloquere propere ac pavorem || hunc meúm || expectora.*

Nonius 16, 5.

„qui est septenarius trochaicus sine vitio ut videtur traditus“ Leo [1]). Certe sensui nihil deest.

337. *Numquam erit tam immanis, cum mea opera || extinctum sciat.*

Nonius 111, 5.

De hoc versu infra agam in capite quod inscribitur: „De ablativo et verbis *med* et *ted*“.

344/5. . . . *nám || ea oblectat spes aerumnosum hospitem, dum || id quod miser est, clam esse censet alteros.*

Nonius 267, 18.

371/2. *Nihil est: si autem ad te ⟨t⟩re tardat, socium in portu est copia quae subsistat: modo tute ipse te || effirma et compara.*

Nonius 256, 20.

Quod hoc uno tantum loco *effirmare* traditum est, verbum incertum vel dubium esse non comprobatur. Sed certo falsam esse hanc compositionem ex eo apparet quod *ex* cum *firmare* coniungi non potest. Neque video, quae vis verbo effirmandi esse possit. Quare recte im-

1) Prgrm. Göttingen 1910, pg. 4.

Accius. probant hoc verbum et bene Quicheratius ita ut allitteratio fiat, *confirma* sensui aptum proposuit.

377. *Opinione factum || est quanto minus* e. q. s.
Nonius 356, 18

De hoc versu et duobus illis qui eum sequuntur, dubito an gravior corruptela eos affecerit, certe dubitatione liberi non sunt.

403. *Sicut inciti atque || alacres rostris perfremunt.*
Cicero de natura deor. II, 35, 89.

Sic Plasberg in editione sua. Sed quae sit vis verbi *inciti*, elucet ex Lucreti versu (VI, 428): . . . *freta* . . .
fervescunt graviter spirantibus incita flabris
i. e. freta mota agitataque sunt flabris, ergo motus quem significat *incitus*, non fretis ipsis inest, sed flabris efficitur. Similis est notio huius vocis in versu 295 et 325. Saepissime autem usurpat Lucretius hanc formulam *vis incita venti* I 271; VI 137, 431, 582 et semper hanc vim vox secum fert: motus altera vi. Et eadem notio est in his versibus Vergili: Aen. XII 492, 534. Sed a versu Acci abhorret haec notio, nam „celeres sunt delphini et alacres" neque vero „moti ab aliis atque alacres". — Accedit alterum: nam valde dubiumst possintne syllabae duorum verborum quae iambicam formam praebent *-cut inc-* ⏑—, uno accentu versus coniunctae pyrrhichicae fieri; Plauti quidem exemplum non inveni. Quare *inciti* corruptum esse puto neque potest esse versus testimonium hiatus.

De correptione iambica Acciana

pauca addantur. Neque enim abiudicanda est a prosodia Acci, nisi fallor.

32. . . . *omnes gaudent facere recte, mali pigrent.*
Nonius 219, 16.

Quem versum sine dubio falsum tradunt codices. Quonam modo *omnes* et *malos* sibi oppositos esse putas? Et in paenultima arsi non inveniri correptionem iambicam docuit

Jachmann [1]). Praeterea versus 275 (Nonius 322, 26), 439 (Nonius 15, 24), 460 (Nonius 111, 31) nihil pro certo comprobare possunt. Sed sunt exempla, puto, in his versibus: Accius.

in initio versus:

81. *sed angústitatem inclusam ac saxis squalidam* (Non. 73, 25).

133. *Vel hic quí me aperte effrenata impudentia* (Non. 139, 1).

147. *quid est, cúr componere ausis mihi te aut me tibi?* (Non. 257, 17)

et in versu anapaestico:

290. *Nobís datur bona pausa loquendi* (Char. 288 K)

et in medio versu:

praet. 37: *Pérpropinquam. Haec bene verruncent populo! nam quod ad dexteram.*

Cic. de div. I, 22, 45.

538. *quem neque tueri contra neque affari queas.*

(Macrob. sat. VI, 1, 55) quem versum cave ne tangas. Nam *tueri contra* coniungenda sunt quibus opponitur ut res etiam minor *affari*; sed *contra fari* sensum mutat i. e. corrumpit. Tamen obstare videtur lex illa quam observavit Marx de correptione iambica in arsi quarta senarii evitata. Sed in Terenti fabulis insunt nonnulli versus quorum quarta arsis efficitur ex duabus voculis monosyllabis quarum altera ante consonantem posita producitur [2]). Immo Accio talem versum attribuit Marx:

262. ... *neque quisquam a telis vacuus, sed ut cuique obviam.* (Festus 265 M). Et Terenti quoque duos versus exscribere liceat:

Hec. 391: *Ceterum de redducenda id facias, quod in rem sit tuam.*

Ad. 40: *Atque ex me hic natus non est, sed ex fratre ⟨est⟩ meo.*

Ergo in his duobus versibus item ut in reliquis Terenti versibus (And. 65, 419, 470; Eun. 1029; Phorm. 296; Hec. 616, 807; Ad. 816), quamquam artissime coniungi cum

1) stud. pros. Marburg 1912. 2) Marx l. l. pg. 167.

Accius. substantivo praepositionem inter omnes constat, correptio iambica fieri potest quod vim et naturam monosyllabae vocis habent praepositiones *in* et *ex*. Et cum veri simile sit etiam illas praepositiones quae cum verbo coniunctae sunt non omnem amisisse vim naturamque vocis monosyllabae — docuit enim Mirgel in hexametris Vergilianis caesuram nonnusquam positam esse inter praepositionem verbumque, non plane igitur coaluisse haec verba[1]) — etiam hic versus Accianus 538 morem sequi videtur versuum Terenti quorum quarta arsis ex duobus monosyllabis fingitur.

Accius 103 (Nonius 424, 2) cum hiatu sic legitur:

. . . *nec qui te adiutem invenio*: || *hortari pudet,*
non prodesse id piget . . .

Sed octonarium melius vocamus iambicum correptione iambica adhibita neque dubitandum quin hic versus non sit exemplum hiatus:

nec qui te adiutem invenio: hortari pudet, non prodesse id piget.

Sed in versibus 22, 87, 112, 136/7, 189, 272, 428, 433, 530, 562 littera — *s* eliditur, non iambi corripiuntur.

Ergo insunt correptionis iambicae exempla in Acci versibus. Tamen rara, nisi his exemplis addere vis verba *suā*, similia. Horum autem, si comparas cum exemplis correptionis iambicae allatis, permulta inveniuntur:

in arsi:

52. *Quod utinam me suis arquitenens telis mactasset dea.*
170. *Alienas suas ut auro locupletent domos.*
234[2]. *Fruges, tamen ipsae suapte natura enitent.*
492. *Illos suapte induxit virtus, tu laudem illorum levas.*
90. *Quin meum senium cum dolore tuo coniungam et comparem.*
628. *Nunc tu in re crepera tuā quid capias consili.*
648. *Ut vim contendas tuam ad maiestatem viri.*
293. *Qui, nisi genitorem ullo, nullum meis dat finem miseriis.*

1) Diss. Göttingen 1910, pg. 32.

601. ... *quae ego cuncta esse fluxa in mea re crepera comperi.* **Accius.**
218. *Accumbat mensam aut eándem vescatur dapem.*
451. *Eumpsum vitae finem ac fati* || *internecionem fore.*
praet. 7. *Et nunc quae deorum segnitas? ardet focus.*
in thesi:
96. † *Hocinrest quo tu tam temeriter meam benevolentiam.*
354. *Tuam solitatem memorans, formidans tibi.*
503. *Tuam petii gnatam: numero te expugnat timor.*
607. *Suo sibi lautum sanguine tepido* (⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ —).
praet. 21: *Duos consanguineos arietes inde eligi.*
„ 24: *In me arietare eoque ictu me ad casum dari.*

Nonne docet tantus exemplorum numerus verba *tuā* similiaque in Acci versibus synizesi monosyllaba facta esse neque vero pyrrhichica correptione iambica! Fulcitur ergo, puto, his exemplis sententia quam comprobavit de synizesi talium syllabarum Jachmann.

412/13. *ut tristis turbinum*
Toleraret hiemes, mare cum || *horret fluctibus.*
Nonius 422, 32.

In his frustulis poeta agere videtur de nauta aliquo et, cum in altera sententia agatur de hieme, in altera autem de fluctibus horrentibus, hae sententiae dirimendae non sunt. Nam horrentibus fluctibus tristes turbinum hiemes fiunt. Quare *horreret* correcturam esse necessariam puto. — Sed ne quis ex versibus 599/600

Iussit proficisci exilium quovis gentium,
Ne scelere tuo Thebani vastescant agri.

exemplum sibi asciscat, ut in versu 413 cum Vossio traditam formam defendat. Ibi enim Creon [1]) ea quae iussit Tiresias, repetit: proficisci in exilium quovis gentium Oedipoda; deinde addit, cur ipse, Creon, putet Oedipoda Thebas relinquere, in exilium ire debere. Sane haec eadem causa est quam protulit Tiresias, sed nunc ipse Creon eam repetit quam ipse iustam putat. Quare *vastescant* significat sententiam Tiresiae nunc etiam Creontis esse Creontemque

1) cf. Eur. Phoen. 1589 sqq

Accius. eam ut suam proferre, cum *vastesceret* significaret Creontem non suam, sed Tiresiae sententiam profiteri [1].

425. *Oéneum aliquis cette in conspectum aut nos ubi || est ducite Ad eum.*

Nonius 85, 5.

432. *Neque ratumst quod dicas neque quae || agitas, dicendi est locus.*

Festus 274 M.

Potes haec verba disponere in septenarios iambicos:

. . . *neque ratúmst quod dícas*

Neque quae agitas dicendi est locus . . .

scilicet ita ut quintae arsi praecedat verbum monosyllabum. Sed cum hos versus ex tragoedia sumptos esse Festus testis sit, de septenario trochaico dubitandum non est. Nam septenarium iambicum versum quadratum esse comicum dixit Varro (Rufin. C G L VI, 556, Caes. Bass. C G L VI, 263, Leo Rh. M. 1885, pg. 167) neque usquam alibi in tragoedia latina aut graeca inest hic versus.

451/2. *eumpsum vitae finem ac fati || internecionem fore Meleagro || ubi torrus esset interfectus flammeus* [2].

Nonius 15, 26/27.

eum suum cdd., corr. Lindsay; *ubi* F^3 (!) B^A (quo nomine Lindsay fontem vocat codicum G (et PE fortasse) et correctionum H^2 L^3), omisit L.

Perdure haec verba Accius composuit, neque vero dubito, quin paene sine vitio tradita sint. Sed accedamus ad singula. *Eumpsum* restituendum esse ex verbis corruptis *eum suum* vidit Lindsay, recte nisi fallor. Nam *-pse* suffixum declinationem pronominis sequi cui additum est, non mirum est et similem formam esse in Enni versu ann. 430 testis est Festus (325 M.): *quo res sapsa loco*

1) Aliter neque recte Koterba De sermone Pacuviano et Acciano. Diss. Vindobon. 1905, pg. 185.

2) Lachmann comm. in Lucr. pg. 387/8.

sese ostentatque iubetque [1]). Praeterea monuit me Wacker- **Accius.** nagel etiam in lingua Graeca esse similem formam τοῖσδεσσι (K 462). — *Fatum* autem est dea ut in his verbis: *perlege cum in patria(m) tulerit te dextera Fati* C. L. E. 982 (Buech). Sic igitur hos versus declarandos puto. Dicturus erat poeta tum factum iri finem vitae, ubi torrus perisset, et cui finis fieret, addidit dativa forma *Meleagro*. Sed in hanc sententiam altera clam irrepsit: *Fatum* enim deam interfecturam esse. Et addidit poeta, ut cum praecedente substantivo *finem vitae* coniungeret, novam quoque sententiam substantiva forma: *fati internecionem* scilicet eam cuius subiectum est *fatum*. Deinde has diversas sententias poeta in unam coniunxit [2]). — Versus 451 vel post *finem* vel post *fati* hiare potest. Sed hoc fieri veri similius est, cum saepe hiatu interrumpantur versus longi in diaeresi.

460. *Erat virile* || *istuc, ferre advorsam fortunam facul.*
Nonius 111, 31.

Est vel septenarius trochaicus vel octonarius iambicus. Quare de *erat v-* ⏑ — iambo correpto pro certo iudicare non possumus. — Inter *virile* et *istuc* hiatus traditus quem amovere conatus est Vossius transpositis verbis *istuc virile*, fortasse recte. De hiatu iudicare nolo.

476. *Ubi nihil contra rationem aequam* || *habuit, adsensit silens.*
Nonius 469, 20.

Possis etiam hiatum evitare, dummodo liceat *nihil* pro bisyllabo accipere. Sed hoc nimis raro fit in sermone prisco. Sed, si accipis, vel *contră rătĭonem* vel *contra rationem* legi potest [3]). De huius verbi ultimae syllabae mensura cf. Thes. L. L. IV, 738, 13; Usener

1) De *eumpse* cf. Koterba pg. 143: sed etiam in versu Pacuviano 39, nisi *eum ipsum* servare vis, *eumpsum* quam *eumpse* veri similius est secundum litteras traditas.

2) Vahlen quoque (op. ac. II, pg. 462, ann. 6) verba non mutanda censuit.

3) Lindsay Capt. p. 16.

Accius. opusc. II, pg. 135 sqq.; Skutsch Plautinisches und Romanisches pg. 8.

496. *Proscindant glebasque arvo ex molli || excitent.*
Nonius 395, 22.

Quid sibi volt *mollis?* Describuntur enim solis exortus et terrae per noctem roratae. Optamus igitur, ut adiectivum addatur voci *arvi* quod vel arvum roratum explicat vel commune aliquid adiungit. *Mollis* autem attributum additur quod sententiarum conexum frangit deletque.

498. *Praesto etiam adsum. — exprome quid fers. nam te longo || itere cerno vadere.*
Nonius 485, 7.

Haec verba multi temptaverunt neque ego ea integra puto esse. Nam exspectamus dici aut *longo itinere venisse* aut *ex* vel *a longo itinere te vadere*, sed *te longo itinere vadere cerno* ei qui nuntium appellat, non apta verba. Quare ne Mercatoris quidem versus (947) quicquam valet, ut Acci versus demonstretur recte esse traditus.

515. *Nam mé || ut crédam ex tuo esse conceptum satu.*
Nonius 174, 10.

Qui versus priscam formam *med* comprobare minime potest. Nam sic dispescendus est: *Nam me ut credam ex* e. q. s. Conferas quae de verbo *autem* disserui ad versum com. 20 Naevi pg. 22.

652/3. *fulguri praefervido*
Ardor iniectus Iunonis dextra || ingenti incidit
vel *dextra ingenti || incidit.*
Servius Dan. in Aen. I 42.

dextra cdd. cum hiatu; *dext⟨e⟩ra* Buecheler cf. Acc. praet. 36. Plautus quidem uno tantum loco (Merc. 965) forma *dextrae* usus est, quindecies *dextera*. Sed apud Terentium ter *dextram*, ter *dexteram* invenis. In Ciceronis denique carminibus — de scriptis prosaicis taceo, cum desit testimonium versus — numquam *dextera*, sed undecies *dextra* legendum est. Ergo quam Plautus semel tantum

admisit, Cicero semper usus est vocis forma[1]). Accium igitur qui inter Plautum et Ciceronem vixit, forma *dextera* uti potuisse veri simile est. Quare hic nulla fides hiatus est. **Accius.**

EX INCERTIS INCERTORUM FABULIS (TRAG.).

122. *Quid meritus hic sit dubium || an cuiquam fiat.*
Charisius 254 P.

Sed ne hunc versum integrum putemus, duo argumenta obstant. Primum hoc: in versu antecedente in Charisii codice verbum aliquod deest, alterum (*immolet*) ex hoc versu in sequentem versum delatum est, id quod etiam versum quem tractamus, fortasse mendosum esse docet. Gravius hoc: quidnam est *dubium an cuiquam fiat? Cuiquam* enim postulat ut haec sententia negativa sit sive interrogativa sive explicativa. Sed *dubium an* non negat. Et sententiarum conexus hoc expressum flagitat post *quid — sit:* n e m i n i dubium est. Quod verba tradita non significant.

Versus **147** (LXXXI) frustula, a Ribbeckio false constituta, ad hiatum aut verbum *ted* comprobandum nihil valent, cf. Gellius IV, 9.

TURPILIUS.

15. *Timere occepi || interdum oscitarier.*
Nonius 322, 18.

Sic Lindsay; *hoccoepit* L, *occepit* B^A^: *occepi et* Lipsius. *-pit* secundum versus sequentes ex *-pi et* ortum esse videtur. Neque enim veri simile est *-t* irrepsisse ex tertiae personae *-it* falso suprascripto, sensum delente.

24. *Nec recte dici mihi iam dudum || audio.*

Sic Paulus pg. 163. Sed verum servavit Festus pg. 162 qui addit *quae* post *mihi.*

56. *Quam legere || optimum esset atque aequissimum.*
Nonius 332, 29.

---

1) Exempla praebuit Thes. L. L. V, 916 sqq.

Turpilius. Sed nihil valet hoc testimonium, nam in *te* post *legere* tradito consentiunt codices quod unus codex Fabri omisit teste Ribbeckio.

65. *At ením scies ea quae fuisti || inscius.*
Nonius 501, 19.

Falsam esse hanc mensuram quam Ribbeck huic versui adhibet, ex eo elucet, quod nusquam alibi *at ením* in tertia syllaba accinuntur, semper enim accentus in *at* ponitur cf. Leo Pl. F.[2] pg. 330, ann. 2. — Lindsay sic scripsit:

At enim scíes ea quae fuísti ínscius.

123. *. . . hortari nostros coepi || ilico*
Ut celerent lembum . . .
Nonius 534, 4.

Haec verba sine vitio tradita sunt neque sensus neque verborum aut senariorum forma offendit. Tamen haec verba quin ex versibus deverbii sumpta sint non dubito[1]), nam ad canticum minime apte conveniunt. Neque vero est exemplum hiatus ante finientem creticum senarii positi. Num quid obstat quominus frustula sic dimetiamur: finis septenarii iambici:

. . . hortari nostros coepi
ílico || ut célerent lembum . . .

Nam *ilico* utrum cum *coepi* an cum *celerent* coniungendum sit, in ambiguo est.

149. *Quibus rem rebus despoliasti, foedum || in lustris latet.*
Nonius 333, 22.

Haec verba non intellego, testimonium esse hiatus non contendo.

179. *Disperii misera! || uterum cruciatur mihi.*
Nonius 229, 32.

Item usurpatur absolute *cruciari:* Curc. 237; Trin. 1169. Ergo hiatus est in caesura, nisi sic legendus est versus *. . . dísperií misera! uterum cruciatur mihi*[2]).

---

1) Aliter Lindsay.

2) Conferas ea quae dicam de Attae versu octavo, pg. 61.

197. *Infelix inter tuniculam* || *ac strophium conlocaram.*
Nonius 538, 8.

203. *Dat ultro ac munerat quod ab illo* || *abstulit.*
Nonius 477, 20.

In hac parte libri septimi Noniani inter se mutantur lemmata in codicibus. Cuius rei ut exemplum afferam, nomino hunc locum: 477, 15. Ibi traditum est nomine poetae ut in linea 19 sequente: *Misere pro miseretur Turpilius.* Sed exempla quae sequuntur, inter se consentiunt, nam cum in codicibus servatumst *miseretur* in Turpili versu 55, tum metrum utriusque versus hanc formam vocis flagitat. Praeterea veri simile non est, cum insolitum sit *muneror,* Nonium formae activae exemplum afferre. Sed *muneror te* in „veterum scriptis" legi memorat Gellius (XVIII, 12, 10), quia sit rarum. Quare lemma Nonii corrigendum est et item *munerat* quo servato hiat versus, mutandum:

Dat ultro ac munerat⟨ur⟩ quod ab illo abstulit.

209. *cum interea*
Nihil quícquam a me est praemí neque || *erat tuae benignitatis*
Atque obsequellae.
Nonius 215, 30

dummodo sint septenarii iambici, ut putat Leo [1]).

De *nequé* ante diaeresim posito conferas quaeso quae dixi ad Naevi versum trag. 35 (pg. 20).

211. *Hoc te oro ut illius commiserescas miserae* || *orbitudinis.*
Nonius 146, 18.

Cf. Leo Pl. F.² pg. 354.

EX INCERTIS INCERTORUM FABULIS (COM.).

71. *Clamor lapides fustes gladii:* || *haec improvisa omnia.*
Cicero ad Att. IV, 3, 3.

Estne versus? Ciceronis? Scaenici poetae? Quis diiudicare se posse profitebitur?

1) Analecta Plautina II, pg. 8 ann.; Pl. F.² pg. 314 et ann. 2.

EX FABULIS TOGATIS.

TITINIUS.

11. *Úbi* || *ambitionem virtuti videas antecedere.*
Nonius 499, 7.

Non debuit sic versum incipere Lindsay, nam potuit in initio versus vocula excidere velut *et, sed.* Hiatus testis esse vix potest hic versus. Aliter Leo Litgesch. pg. 380, ann. 5.

24/25. *Quae inter decem* || *annos nequisti* || *unam togam detexere.*
Nonius 406, 17.

Bene verba tradita retinuit Lindsay.

33. *Ut mihi subvenias, ne ego maialis fuam.*
Nonius 111, 12.

46. *Desuévi nequo* || *ád cenam iret extra consilium meum.*
Nonius 95, 1.

Sic Maurenbrecher versum legi iubet (l. l. pg. 168). Sed errat. Est enim septenarius trochaicus:

Désueví ne quo ad cenam iret extra consilium meum.

57. *Ut cúm* || *ea primum blanditer . . . comparemus conloqui.*
Nonius 256, 18.

Deest verbum, tamen de *cúm ea* vix dubitandum.

58. *Sín forma* || *odio sum, tandem ut moribus placeam viro.*
Nonius 406, 1.

si in fonia L; *sin fonia* vel *symfonia* ceteri cdd. Apud Lindsayium sequitur *odiosa.* Sed haec est coniectura Luciani Mueller; codices autem tradunt *odio,* id quod Lindsay neglegere non debebat. — Sensus huius versus additamento non indiget. Neque placet verba *sin* et *sum* dirimere dispertiendo in duas partes hoc versu. Quare in hoc versu fortasse iure putas esse traditum hiatum.

59. *eu! ecastor,*
si moratae sitis ambae || *ibus pro ut ego moribus.*
Nonius 486, 13.

ut ego pro cdd; *pro ut ego* Hermann. Tamen haud scio an defendi possit verborum ordo traditus versu non hiante. *Si moratae sitis pro his moribus* fortasse dictumst ut in Adelphis (51/52): *non necesse habeo omnia pro meo iure agere.* Actum est autem antea de moribus aliorum quorundam, ut docet *ibus*, et qui loquitur, addit sese illorum mores sequi. Quare voci *ibus* annectit *ut ego.* Neque contra morem prisci sermonis latini pronomen praecedit praepositioni et substantivo. Nam huius usus etiam in Enni versibus nonnulla sunt exempla: ann. 54 *tuo cum flumine sancto*, 444 *suo cum flamine*, item in fabulis Plautinis. Praeterea Lucretius quo non multo prius viguit Titinius [1]), diremit insertis aliis vocibus pronomen a praepositione:

Titinius.

II 425 *non aliquo sine materiae squalore reperta est.*
IV 515 *et libella aliqua si ex parti claudicat hilum* [2]).
V 16 *cum tamen his posset sine rebus vita manere.*
VI 204 *hac etiam fit uti de causa mobilis ille.*

Quae exempla versum Titini correctura non egere comprobant.

Ergo eliduntur syllabae, non hiant:

si moratae sitis ambae ibus ut ego pro moribus.

vel -*s* verbi *ibus* eliditur, nam in Catulli quoque versibus -*s* semel eliditur:

si moratae sitis ambae || íbu' ut egó pro moribus.

65. *Nam quid ego feci te advorsum aut patrem meum.*

Nonius 157, 8.

et cdd., *te* Junius. Luchs [3]) mutavit ordinem *meum patrem.* — Cum vitare voluerunt *patrém meúm* ◡—[5] | ◡—[6] inseruerunt *ted.* Sed cum *patrem meum* deleat metrum [4]), mutanda erant verba, ut fecit Luchs. Tamen traditum ordinem versusque formam servare malo, neque enim mihi

1) Leo Litgesch. pg. 375/6.

2) Degering, Beiträge zur historischen Syntax der lat. Sprache, Göttingen, Diss. 1893, pg. 44/46.

3) Studemund Studien I pg. 68.

4) Cf. Jachmann studia prosodica Marburg 1912.

Titinius. Luchs neque Wallstedt [1]) persuaserunt *patrem meum* abhorrere a versu prisco. Certe inserto *ted* sanari non potest versus.

69. *Magis quae famae obiectarent né* || *eam male factis nobilitarent.*

Nonius 352, 6.

Versum vocat octonarium anapaesticum Leo (Litg. pg. 383, ann. 1). Praecessit fortasse tale quid: *sed absconditerunt magis* e. q. s. — De *ne* ante diaeresim posito conferas Naevi versum trag. 35, pg. 19.

109/110. *Paulá mea amabo, pol tu ad laudem* || *addito praefiscini.*

Charisius pg. 189 P.

tuam scripsit Ribbeck. Neque vero, ut hoc accipiamus, flagitat sensus. Immo, cum „persaepe" *tu* vel *vos* coniungatur cum imperativis [2]), non facile *tu* traditum delemus. — Octonarius iambicus caesura inciditur ante quintam arsim velut in nona scena quarti actus Bacchidum. Vel hiat versus inter *tu* et *ad*:

Paula mea, amabo, pol tu || *ad laudem addito praefiscini.*

119. *Etsi tacebit, tamen gaudebit sibi promitti* || *oreas.*

Festus pg. 182 M.

promiti oreae Farn. teste Ursino, *promitti ore* . . . testibus Keilio et Abelio.

130. *Verrite* || *aedis, spargite, munde facite ín suo quique loco ut sita sint.*

Charisius pg. 183 P.

Leo [3]) quoque octonarium anapaesticum dimensus est. Neque vero haec est sola mensura quam adhibere potes huic versui:

Vérrite aédis, spárgité,
Mundé facite in suo quique loco ut sita sint . . .

---

1) Filologiska Föreningen i Lund Språkliga Uppsatser 1906, III, pg. 189 sqq. Enklisis oder nicht? Cum Plauti et Terenti exempla respiceret, hunc versum omisit (pg. 192/3).

2) Kaempf pg. 10/11. 3) Litg. pg. 383, ann. 1.

dimeter trochaicus catalecticus et initium septenarii vel octonarii anapaestici. Cuius dimetri trochaici exemplum praebent Naevius (tr. 37/38): *Egone an ille iniurie* et Ennius (sc. 77): *Qui suo partu ardua* de quibus versibus egi pg. 25/26. Plautus quoque trochaeos coniunxit cum anapaestis: Rud. 920/23 [1]. Sane paulo aliter comparatum est hoc exemplum. Sed vel tacente Plauto negare non debemus Titinium potuisse uti tali coniunctione trochaeorum et anapaestorum. Ergo *verríte* || *aedis* cum hiatu non legi posse veri simile est.

Titinius.

149. *Ómnium vitiúm* || *expertem consili plenum prohibui.*
Nonius 495, 10.

De hoc versu infra agemus in capite quod inscribitur: De littera -m.

165. *Obstrudulenti* || *aliquid quod pectam sedens.*
Festus pg. 193 M.

obstrudere aliquid bis Plautus dixit: Curc. 366, Stich. 593.

Neque vero refelli poterit qui contenderit senarii excidisse primum pedem et verbi *obstrudulenti* quartam syllabam correptam esse secundum legem iambi correpti: ⏑ — *obstrúdŭlĕnti aliquid quod pectam sedens.* Jambi enim in versibus Titini corripi possunt secundum exempla haec:

31 (cf. Nonius 366, 18)

Pátibulo hoc ei cáput diffringam.

effringam Luc. Mueller, sed prave. Dicunt enim *fores* vel *claustra effringere* Plaut. Amph. 1026, Stich. 327. (Sed Sueton. Aug. 67, non, ut Forcellinius docet, *caput effringet* traditum est, sed *ei fringet* cf. Jhm.) *diffringo* autem haec obiecta secum fert apud Plautum: Asin. 474 *crura;* Mil. gl. 156 *talos,* 722 *crura aut cervices;* Stich. 191 *lumbos* cf. Thes. L. L. s. v. *diffringere.* Quare non licet mutare traditum.

37/38: *Libram aiebant satis esse ambobus farris:*

---

1) Leo Plaut. Cant. pg. 24.

Titinius. *intritae plus* c o m e s *sola, uxor*[1]) (Nonius 81, 11)
◡ ◡ — ◡ ◡ —

70/2 *Verum* e n i m *dotibus deliniti ultro etiam uxoribus ancillantur* (Nonius 72, 1) ◡ ◡ — ◡ ◡ —

95/97 . . . ⟨*a*⟩ *stultitia*
cupidi n⟨*ob*⟩*is* p e t u n t *consilium,*
bonum gratia parvi ut faciatur ◡ ◡ — ◡ ◡ —[2]) (Nonius 507, 16).

102 Q u i d *istuc est aut* q u i d *istic sibi vult sermo? mater delica* (Nonius 98, 8; 277, 29).

103 *Nunc hóc uror, nunc haec res me* f a c i t, *festinem* (Nonius 482, 31).

119 *Etsí tacebit,* t a m e n *gaudebit sibi promitti oreas* (Festus 182 M.).

127 *Sapiéntiá* g u b e r *nator navem torquet, non valentia* (Nonius 503, 5 et saepius).

181 *Haec* q u í d e m *quasi Osculana pugna est* ⟨*hau*⟩ *secus* (Festus 197 M).

169/170. *Si || erit tibi cantandum, facito usque exvibrisses . . .* Pauli Festus pg. 370.

172[1]. *Exporge frontem; || habeat semper fac*⟨*i*⟩*to rictus, rideat.* Nonius 221, 15; 456, 1.

facto cdd. utroque loco, *facito* Junius; *excorde* pg. 456; *labeat* 456. Ergo consulto correcta videntur quae male intellegebantur, pg. 456. *Exporge frontem* cf. Ad. 839. Risum et rictum item coniunxit Pomponius (v. 124): *ridens ringitur.*

---

1) Anapaestos vindicavit Leo Analecta Plautina II pg. 8, ann., sed *comest,* quod ex coniectura recepit Leo, non melius tradito *comes* cf. Lindsay in editione Nonii.

2) cf. Leo Litgesch. pg. 383, ann. 1.

ATTA.

4. ... *atque* † *eia muginantur hodie* || *átque ego occlúseró fontem.*

Nonius 139, 7.

Potes sic septenarium trochaicum finire post *occlusero*, ut hiatus sit post *hodie*. Sed pro certo nihil contendere possumus de versus forma constituenda, frustula enim sic quoque potes tractare: finito post *hodie* versu trochaico vel iambico catalectico incipiunt cretici. Neque vero nos debere sic agere puto, sed posse. Hiatus exemplum ergo esse non potest.

8. *Cum primo luci* || *hodie ut exornata sit.*

Nonius 468, 23.

Eadem verba *cum prímo lúci* legis item accenta Cist. 525, Ter. Ad. 841. Quem accentum delere displicet. Accedit alterum. Sequens enim versus quem falso constituit Ribbeck, est septenarius trochaicus. Quare veri simile est rectissime Lindsayium etiam versum quem nos tractamus, septenarii trochaici frustulum appellasse qui hiat in diaeresi:

... *cum primo luci* || *hodie ut exornata sit*
Atque ut auspicetis: cras est communis dies ...

Tamen confitendum est in versu Merc. 570 duo verba spondiaca in ultima syllaba accini in secunda tertiaque arsi sequente synaloepha:

Nam nunc si illuc intro ieris, amplecti voles [1]).

Quare non negare debemus etiam Attae verba *cum* — *sit* esse posse talis versus reliquias: ... *cúm primo luci hodie ut exornata sit.*

---

1) Leo Sat. Vers. pg. 27.

AFRANIUS.

7. *Haut fácul ut ait Pacuvius feminá* || *invenietur boná.*
Nonius 111, 29.

Quem versum Lachmann, Ribbeck, Lindsay sanare voluerunt inserto *una*, sed sequi malo Leonem[1]) qui post *femina* versum finit.

103. *Au, mi* || *homo! immo edepol vos supremum meum concelebretis diem.*
Charisius pg. 214 P.

120. *Jactabit sese. Jactet. Mi* || *erit tristior.*
Nonius 410, 1.

163. *Septembris heri Kalendae* || *hodie ater dies.*
Nonius 73, 32. Cf. Leo Pl. F.[2] pg. 354.

175/6. *curre et nuntia*
Venire et mecum speratúm || *adducere.*
Nonius 174, 35.

me inseruit Lucianus Mueller. Sed multi versus sunt in quibus subiectum accusativum omittitur cuius usus exempla collegit Bennett (pg. 383 sqq.). Neque enim tunc solum deest subiectum, cum congruit cum verbi regentis subiecto. En duo exempla quae bene probare mihi videntur versum traditum Afranii:

Ter. Hec. 76/77:
Senex si quaeret me, modo isse dicito
Ad portum percontatum adventum Pamphili.

Neque licet interpungendo ante *me* verbum *quaeret* privare obiecto cum necessitate addito.

Ter. Andr. 450:
Ait nimium parce facere sumptum. Mene? Te.

Quare nihil addere audeo versui Afranii.

233. *In Gállia ambos cum emerem . . .*
Charisius pg. 95 P.

1) Litgesch. pg. 381, ann. 2

Cum, qualis fuerit finis versus, nesciamus, non certa haec mensura. **Afranius.**

261. *Cotidiano || opere promisce omnia.*
Nonius 434, 16.

Nihil valet hic versus, nam et versus antecedens et sequens magis corruptus est, quam ut probabili modo sanari possint.

274. *Deliberatumst non tacere || amplius.*
Schol. Veron. in Verg. Aen. X, 564, pg. 106 Keil.

Nihil deest ut videtur. Nam multa sunt exempla talis infinitivi omisso subiecto velut Mil. gl. 344 *consiliumst ita facere*, Most. 666 *id decretumst dicere*, Heautt. 465 *decretumst pati* [1]).

309. *Hi coniecere verba inter se || acrius.*
Nonius 267, 31.

Fortasse *sese* ut coniecit Junius. Nam *se* et *sese* saepe inter se confunduntur. Et *sese* coniungi posse cum praepositione docent hi versus: Ter. Andr. 954; Phorm. 918; Ennius sc. 343.

323. *Non amatorem, olim defensorem, || ut pereum volet.*
Nonius 358, 9.

Abundat hic versus parvis mendis: *amaterem* correctum ex *materem* praebet L, *amatorum* B^A quo siglo utitur Lindsay, et *defensore* L et B^A, et *non,* in initio versus traditum, in suspicionem adduxit Mercerus. Quare hunc versum testimonium hiatus esse non puto.

404. *Cum ad me exspectas et fabulare incipis.*
Isid. orig. XII, 8, 16.

Quem versum sic corrigere conatus est Ribbeck:
Cum ad méd expiras et fabellare incipis.
Neque vero hunc versum Ribbeckianum pro testimonio formae *med* sumere licet. Fecit autem Maurenbrecher (l. l. pg. 117).

---

1) Bennett pg. 409—12.

EX FABULIS ATELLANIS.

POMPONIUS.

7. *Át ego rusticatim tangam; || urbanatim nescio.*
Nonius 166, 30; 409, 1.

16. *Postquám conveni || omnes convivas meas.*
Charisius pg. 37 P, Donatianus C G L VI pg. 276, Priscianus p. 642 P. Sed tuo iure agis, cum sic legis:
. . . *póstquam conveni omnes convivas meas.*

41. *Quó palúmbem unum || éx óre tóllit.*
Nonius 219, 11.
Sic dimetitur Lindsay. Neque aliter verba tradita, nisi mutare malis ordinem verborum, in versum disponi possunt. *Unum* seclusit Lucianus Mueller, sed verum ne delerit timeo.

49. *Mi frater, salve! || — O soror salve mea.*
Nonius 473, 1.
Mueller[1]) coniecit *salveto*, nulla causa motus, nisi ut hiatum amoveret.

63. *Quid futurum est, si pol ego || hanc discere artem adtenderim?*
Nonius 238, 16.
ego hanc cf. Kaempf pg. 22. Hiatum traditum esse annotat Leo (Hermes 49, pg. 171, ann. 1).

81. *Si || eum nemo vocat, revortit maestus ad maenam miser.*
Nonius 476, 1.
Si || eum nemo vocat, revortit e. q. s. dimetiri potes iambica voce *vocat* ante *re-* correpta, vel *Si eum nemó vocat, revortit*, dummodo *si* cum voce *eum* synizesi monosyllaba facta coalescere possit. Jambicas autem voces corripi in Pomponi versibus docent haec exempla:

2. *Quí postquam tibi appareo atque aeditumor in templo tuo.*
113. *Ipsus cum uno servo senex intestato proficiscitur.*

---

1) Plautinische Prosodie pg. 652.

129. ... *hóc sciunt omnes, quantum est qui cossim cacant.* **Pomponius.**
138. *Si sciam, quid velis, quasi servi comici commictilis.*
147. *Pater adest; negato esse hic me; ego operibo caput.*
(Non. 507, 31. Non video, cur Lindsay senarium aspernatus sit)[1]).

Ergo iambi corripiuntur a Pomponio. Quare praefero mensuram: *Si* || *eum nemo vocat, revortit* ...

96. *Múlier ubí* || *aspexit tam mirifice tutulatam truam.*
Nonius 19, 15.

Vel sic accini potest verbum secundum: *Múlier ubi* || *aspexit* e. q. s.

97. *Neque interim cacandi causa* || *umquam incoxavi nate.*
Nonius 39, 8.

Ambiguum esse dicit Ribbeck, sintne iambi an trochaei. Sed cum sint exempla iambi correpti quae ad v. 81 attuli, trochaicus versus esse potest. Et docet esse trochaicum septenarium hiatus in diaeresi positus.

119. *Quíd habes in syrpiculis, calve?* || *Omne piscati genus.*
Nonius 488, 18.

123. *Nam plus quaesti facerem quam quadrinas si haberem molas.*
Nonius 483, 28.

124. *Fít desubito* || *hilarus; tristis saltat; ridens ringitur.*
Nonius 517, 32.

Sed veri simillimum est syllabam unam excidisse in initio et optime hanc lacunam explevit Buecheler inserto *flet.* Fueritne hoc verbum Pomponi, non refert. Minime hiatus post primum metrum traditus pro certo.

125. ... *nisi nunc áliquis subito* || *obviam occurrit mihi.*
Nonius 146, 26.

Aliter versus constitui non potest, deinde sequitur septenarius trochaicus.

---

1) De versu 177 dubitare licet.

Pomponius. 135/6. . . . *calve, adportas nuntium*
Nobis disparem, divisum: || *huic seni senium et metum.*
Nonius 2, 21.

146. *Evénit cuí* || *amicus est germanitus.*
Nonius 118, 16.
Cuii inserendum ut in versu Caeciliano 261, cf. pg. 38.

159. *Ó* || *hominem beatum quo illae pervenibunt ditiae.*
Nonius 508, 4.
Pomponius pintone gorgonio hominem cdd.
corr. Scaliger, Guietus, L. Mueller: *Pomponius Pythone Gorgone*: *O. h.* e. q. s. Sic ergo Ribbeckii nota corrigenda.

167. *Pol mágis curabo,* || *ubi cognorint, omnes una adsentiant.*
Nonius 275, 24; 469, 24.
Hanc mensuram adhibi posse versui putat Ribbeck, hiatum autem tollere volt voce *cubi.* Sed est septenarius trochaicus sine hiatu.

171. *In terram, ut cubabat, nudam* || *ad eum ut conquexi, interim.*
Priscianus pg. 885 P.

177. *Eí te* || *óbiectés frustatim passerinum prandium?*
Nonius 112, 6.
Neque vero dubito, quin *ei* spondiacam formam praebeat hic ut in Andriae versu 443 [1]).

NOVIUS.

13. *Iam ego illi subiens sublabrabo* || *esui illud sinciput.*
Nonius 170, 7.

14/15. . . . *quod profanavi modo,*
Si tres mensae sint in aede, || *ut pariter dispertiam.*
Nonius 374, 31.
sim cdd, corr. Ribbeck. Praeterea *tres menses* et *tres mensae* aequo iure ex tradito *tres menses sim* elicere potes.

---

1) Cf. Sommer pg. 448, ed. sec. pg. 446.

49/50. *Limen superum, quod mei misero saepe confregit caput;* Novius.
Inferum || *autem ubi ego* || *omnis digitos diffregi meos.*
Nonius 336, 13.

Leo[1]) transposuit verba versus alterius. — Sed haud scio an spernenda sit quam proposui, mensura. Potest enim *ubi* solum explere arsim: *Ínferúm* || *autem ubi* || *ego ómnes* e. q. s. Tamen fortasse in initio alterius versus excidit verbum quod ad *limen superum* pertinet, ita ut verba tradita versum a secunda arsi incipiant. Item secundus versus exempli corruptus est in Nonii libro secundo pg. 96 (pg. 136, 13/4 Li) s. l. *deletile.*

70. *Supparum purum* †*belliensem;* || *interim* || *escam meram.*
Nonius 540, 12.
Veliense Munk, fortasse recte.

80. *Quíd ego facerem?* || *ótiosi rodebam rutabulum.*
Festus pg. 263 M.
Num vim facio versui, cum sic dimetiar: . . . *quid egó facerem? ótiosi* . . .?

86. *Qui* || *habet uxorem sine dote, pannum positum in purpurast.*
Nonius 218, 19.
Sic versus metiendus, etsi Ribbeck addit: „Non placent trochaei". Nempe ut iambi fiant, coniectura ei opus est.

97. *Púriter volo fácias: igni* || *atque aqua volo hunc accipi.*
Nonius 516, 20.
accipere verecunditer cdd.
accipi reverecunditer Mueller Plaut. Pros. pg. 610.

Magis placet hiatus in diaeresi, quam ut *volo* accinamus in altera syllaba[2]). Neque offendit *atque* post

1) Hermes 49 pg. 172, ann. 7.
2) Sic Leo (Hermes 49 pg. 171, ann. 1) qui cum Lindsayio consentit.

Novius. diaeresim positum. Eodem enim loco versus *atque* legitur in Turpili versu 197 cf. pg. 55 (*accipere igni atque aqua* cf. Naev. com. 22: *cibo acceptos*. Amph. 162: *hospitio accipiar*. Cic. Att. XIII, 52, 2 *tribus tricliniis accepti*).

98. *Átque facilitatem, video, || uteris vulgariam.*
Nonius 481, 19.

Lindsay post *facilitatem* versum finit, fortasse ne *atque* trochaice dimetiri cogatur. Sed nonnumquam sic pedem explet *atque*[1]).

---

1) Skutsch, Plautinisches und Romanisches pg. 63.

Tandem fundamenta posita sunt et stabilita quibus nisum aedificium exstruere temeritatis non erit. Disseremus igitur nunc de singulis generibus hiatus et quaeremus, quae exempla singulorum generum nobis praebeant fragmenta tractata. Quae inquisitio dividetur in partes tres.

Quarum *prima* aget de locis versus qui hiatum excusant vel dicuntur excusare:

de caesura semiquinaria senarii,
de trochaica diaeresi septenarii trochaici,
de diaeresi iambica senarii iambici, septenarii trochaici,
de hiatu ante — ◡ — ◡ —^{6} vel — ◡ —^{6} collocato,
de diaeresi septenarii octonariique iambici,
de anapaesticis et lyricis versibus.

In *altera* parte tractabimus verba quorum forma vel syllabae ultimae natura synaloepham prohibet vel prohibere potest:

monosyllaba,
verba iambica,
ablativi et verba *med* et *ted*,
verba in *-m* finientia.

Et in *fine* denique hiatus logici nullum esse testimonium demonstrabitur.

Initium igitur faciat

CAESURA SEMIQUINARIA SENARII.

Gravis est lis inter iudices admiseritne Plautus hoc loco hiatum necne. Nam refragari dicunt hiatum naturae caesurae. Minime enim dirimit caesura versum

in duas partes, quippe quae partes omni ratione metrica careant, sed instat tantum ibi qui dicit, ut respiret. Incisio autem illa metrum in quo incidit, dividit eiusque partes alteram cum antecedente metro i. e. primo metro versus coniungit, alteram cum sequente h. e. ultimo metro versus ⏑ — ⏑ — | ⏑ || — ⏑ — | ⏑ — ⏑ —. Metrum autem medium unum est et simplex neque dirimi se patitur. Quare ambae illae partes versus quae incisione fieri videntur, artissime inter se conglutinantur, quod unius eiusdemque metri scil. medii frustula continent.

Hiatus autem signum est diaeresis, is enim inter versus vel inter partes versus collocatur ex quibus versus compositus est vel videtur compositus esse, velut saepe septenarii trochaici hiant post quartam thesim, octonarii septenariique iambici in quarta arsi. Caesurae autem cuius est coniungere partes versus, signum diaeresis et diremptionis minime respondet, ne synaloepha quidem ab ea aliena est. Tamen in Senecae versibus paene dixi saepe hiatus invenitur in caesura senarii [1]) neque vero propter naturam huius loci, sed contra eam. Victa enim est haec natura alia re, scilicet horrore synaloephae. Synaloepham autem Plautus maxime amat neque cum Seneca immiserit hiatum in caesuram, Plauto idem attribuere possumus, Senecae adversario qui amat synaloepham.

Tamen Plautum nescio unde sumpsisse hiatum caesurae mihi obicient. Negare nolo nunc, sed ut comprobetur haec sententia, demonstrari necesse est vel Plautum non unum esse inter poetas priscos qui senarium finxerit hiantem in caesura, vel, si Plautum non sequuntur ceteri poetae, doceatur, cur Plautus aliam artem ostendat. Sin autem ille postulabit, ut nos declaremus, quomodo hiatum irrepsisse in fabulas Plautinas putemus, respondebimus Klotzium non sine gravibus argumentis conatum quidem esse contendere poetis, histrionibus, grammaticis synaloepham spernentibus consulto vel errore verba mu-

1) Klotz, Altrömische Metrik pg. 172.

tata esse, parva excidisse in versibus quorum caesura lateret, ita ut versus hiantes exorirentur[1]).

Sed quid nos docent fragmenta? De singulis versibus supra dissertum est. Quare satis erit versus hic unum in locum componere, ut commodius iudicentur. De ratione autem iudicandi hoc mihi videtur praemonendum esse. Turpili enim versus 179 sic nobis servatus est a Nonio: *Disperii misera!* || *uterum cruciatur mihi!* Tamen, etsi accipere nolumus mensuram hanc: . . . *dísperií* e. q. s., de hiatu certi nihil dici potest. Nam fortasse, cum antecederet senarius, sequeretur idem in Nonii libro (pg. 229, 32), Turpili septenarii ea tantum verba excerpsit Nonius quae et in lemmate prolata comprobarent et versui antecedenti sequentique responderent. Nam, nisi fallor, ne hoc quidem a Nonio compilatore alienum fuit. Praeterea saepe versus multimodis vel consulto vel errore mutilati nobis traduntur in Nonii libris. Quare fidem habere non possumus, nisi cum versu de quo agitur, arte cohaeret alter, ita ut dubitare non possimus, sitne septenarius trochaicus an senarius iambicus.

Acci igitur versus 84: *ut tam obstinato* || *animo confisus tuo* testificari non potest poetam semel hiatum usurpavisse in caesura, cum eum in 244 versibus evitarit et in triginta quinque versibus caesura latente usus sit.

Qualem rationem secutus enumerabo versus.

Hiatu abstinere possumus in caesura in his versibus, cum alio modo explicari possint:

Naev. c. 18: *Cui cepe edundo* || *oculus alter profluit* (abl.)[2]).
— tr. 59 . . . *trionum* || *hic moderator rusticus* (fort. sept. tr.).
Caecil. 210: *Serit arbores quae* || *alt[e]ri saec[u]lo prosi⟨e⟩nt* (cret.).
Pac. 293: *Tamen offirmato* || *animo mitescit metus.* (. . . . *támen* e. q. s.)
Pac. 364: *Graiugena de isto* || *aperit ipsa oratio (istoc).*

---

1) Klotz l. l. pg. 165 sqq; Leo Pl. F.² pg. 3.
2) Cf. infra: „De ablativo et verbis *med* et *ted*“.

Titin. 165: *Obstrudulenti* || *aliquid quod pectam sedens* (cf. pg. 59).

Atta 8: *Cum primo luci* || *hodie ut exornata sit* (cf. pg. 61).

Pompon. 16: *Postquam conveni* || *omnes convivas meas* (. . . *póstquam* e. q. s.).

Quem sub Aquili nomine Ribbeck[1]) affert v. 9, Plauti est, cf. Leo Plautus II pg. 527.

Fidem praebere non possumus his versibus: Enn. sc. 159; Caec. 77, 181; Acc. 403; Turp. 15; Afran. 261.

Restant denique duo tantum senarii qui senarii esse versu antecedente comprobantur:

Caecil. 104/5 . . . *ut aurum et vestem, quod matris fuit, reluat, quod viva* || *ipsi opposuit pignori.*

Tamen ne hunc quidem versum pro teste capere audeo locupleti et integro, etsi timeo, ne quis me reprehendat, quod consulto omnes versus qui hiatum possint comprobare in caesura senarii, debilitare studeam. Sane, concedo in codicibus traditum esse hiatum in caesura et formam *opposuit* item. Sed plus codicibus nos docent inscriptiones et anno 132 P. Popillius consul in milliario inscripsit *poseiuei*[2]) et in sententia Minuciorum[3]) anno 117 a. Chr. n. scripta legimus *composeiuerunt.* Ergo quae fere exeunte saeculo secundo scripta sunt, nonne ea ineunte quoque scripta esse possunt? Quare vix dubito, quin recte Scaliger restituerit priscam formam: *opposiuit* in versu Caecili. Et, quod oblitteratum est hoc verum in codicibus, cui mirum est?

Pompon. 49 = Nonius 472, 32:

Quin ergo, quando convenit, complectite?
Mi frater, salve! || — *O soror, salve mea*[4]).

Senarii sunt integerrimi et hiatus optime traditus in caesura. Corruptum igitur hunc versum dicere non licet;

1) Scaenicae Romanorum poesis fragmenta II, pg. 38.
2) CIL I² 638 3, X 6950.
3) CIL I¹ 199 in initio; I² 584; V 7749.
4) Leo, Hermes 49 pg. 175, ann. 1.

num consulto hiatum illatum dices? Equidem vix audeam. Quid ergo? Alia via patet quam caute ingredi debemus, cum de fragmentis agatur. Supra enim diximus naturam caesurae quae hiatum non patiatur, deletam esse horrore synaloephae, perfectam autem esse hanc mutationem in Senecae tragoediis. Quando ortus est hic horror synaloephae? Scimus iam excultam poesim et artificiosam Lucreti, deinde poetarum temporis Augusti non amasse synaloepham. Sed etiam in scaenicis fragmentis, opinor, intellegi potest lente minui elisionem vocum et crescere paulatim amorem caesurae purae, non latentis. Hoc enim nos discere posse puto, cum comparabimus, quam saepe in centenis quisque versibus poeta in caesura eliserit voculas:

Naevius	8,47 %	Titinius	10,00 %
Caecilius	15,09 „	Afranius	7,89 „
Ennius	8,91 „	Pomponius	7,14 „
Pacuvius	16,13 „	Novius	8,33 „ [1].
Accius	14,34 „		
Turpilius	17,72 „		

Videmus igitur poetas comoediae togatae et Atellanae multo rarius caesuram synaloepha oblitterare, sed amare intercisionem facilem cognitu. Minimum autem numerum invenimus in Pomponi fragmentis. Et eiusdem poetae unius versum hiantem in caesura vidimus integrum et bene traditum. Videtur igitur, dummodo fidem habere possimus fragmentis casu tantum traditis, Pomponius non amavisse caesuram delitescentem, immo hiatum admisisse. Certum, concedo, non potest esse iudicium de rebus prolatis. Tamen, quomodo, cum tractemus fragmenta, refelli possint quae protuli, non video, etsi non ignoro fortasse mutandum esse iudicium, si uti possemus totis fabulis quarum nunc ex parvis frustulis aedem construere conamur.

Redeamus tandem ad Plautum. Non igitur qui eum hiare in caesura contendere velit, ex fragmentis auxilium

1) Neque vero satis certus est numerus, cum pauci tantum senarii.

sibi advocare potest. Unus enim Pomponio excepto est Plautus in cuius fabulis hoc genus hiatus invenimus [1]. Quare nunc defensori hiatus Plautini quaerendum est, possitne causa inveniri, cur non evitarit hiatum in caesura Plautus. Quae si inveniri poterit, de hiatu caesurae iudicium ferri poterit. Quam causam me indagasse spes me non tenet. Tamen est aliud quoque discrimen inter prosodiam Plautinam Terentianamque quod fortasse cum hiatu diverse tractato commune aliquid habet. Quam causam, ut examinetur, proponere audeo.

Plautum enim supra, cum eum compararem cum Seneca, amantem appellavi synaloephae. Tamen eum, si cum Terentio comparabimus, vinci videbimus a poeta posteriore. En numeri:

Plautus:	(hiatus insunt) [2]	Synal.	Terentius:	Synal.
Poen.	multi	5,93 %	Hec.	22,89 %
Mil. gl.	perpauci	10,41 „	Eun.	15,38 „
Trin.	„	9,51 „		
Truc.	„	6,14 „		

Plautus igitur cuius in fabulis saepe invenitur in caesura senarii hiatus, partes versus quae videntur, coniungere nolit, Terentius autem cuius non est talis hiatus, amat.

Diversum igitur modum sequuntur Plautus Terentiusque in usurpanda caesura latente. Sed in hac prosodiae parte numerus tantum is est qui differt inter duos poetas: evitavit elisionem in caesura neuter poeta. Hiatus autem ab altero ne semel quidem immissus est in ullum senarium, in alterius fabularum versibus saepe nobis se offert. Quamobrem fortasse coniungi non potest quaestio de hiatu instituta cum synaloepha examinanda. Tamen excutienda erit ratio synaloephae quae intercedat inter Plautum Terentiumque. Sed etiam hoc caute quaerendum,

---

1) Exempla collegit C. F. W. Müller Plaut. Pros. pg. 481 sqq.; Spengel T. Maccius Plautus pg. 189 sqq.

2) Leo Pl. F.² pg. 5/6.

possitne diversa ratio synaloephae, si revera esse apparebit inter poetas illos, lucem ferre obscurae et intricatae quaestioni de hiatu caesurae iterum iterumque movendae.

Ante omnia autem hoc tenendum erit secundum ea quae nos docere possunt fragmenta, Plautum unum esse qui hiatum caesurae refragantem immiserit in caesuram, eum igitur qui hunc hiatum Plautinum esse contenderit, explicare debere, cur Plautus differat[1]).

DE TROCHAICA DIAERESI SEPTENARII TROCHAICI.

Recte mihi videtur Klotz iudicasse[2]) qui Terentium negat duas illas partes septenarii trochaici hiatu secrevisse. Nam etiam, si erraret de singulis versibus, tamen, quin Terentius plane aliam artem secutus sit atque Plautus[3]), non dubium est. Inquiramus autem in fragmenta.

Sed priusquam ad rem ipsam tractandam accedamus, enumerando docere oportet, quot cuiusque poetae senarios septenariosque grammatici nobis tradiderint. Ecce conspectus numerorum:

	senarii iambici	septenarii trochaici.
Naevius tr.	21	10
— c.	38	21
Ennius	101	136
Caecilius	106	26
Pacuvius	124	116
Accius	244	119
Turpilius	79	16

1) Infra denique videbimus alterum quoque accedere quod ut explicetur, rogamus eos qui hiatum a Plauto in caesura collocatum esse putant. (Cf. pg. 79).

2) l. l. pg. 155/7.

3) Klotz l. l. pg. 146—155.

	senarii iambici	septenarii trochaici.
Titinius	30	25
Afranius	190	30
Pomponius	28	73
Novius	12	38 [1])

Multi horum numerorum casu sic facti esse possunt neque ipsas fabulas, si servatae essent, plane easdem rationes nobis praebere veri simile est. Tamen in Atellana fabula [2]), cum conspiret Pomponius cum Novio, senarius decessisse videtur et septenarius trochaicus magis acceptus fuisse. Itemne vel similiter iudicandum de Ennio Pacuvioque?

Sed magis nostra interest, differantne illi poetae in adhibendo hiatu diaeresi septenarii. Cuius exempla haec sunt:

Naev. tr. 35: *Ne ille mei feri ingeni atque* || *animi acrem acrimoniam.*

— c. 77: *Alibi manus est occupata,* || *alii percellit pedem.*

Caecil. 71: . . . *vide luculentitatem* || *eius et magnificentiam.*

Acc. 149: *Pulcrumst: si autem vincar, vinci* || *a tali nullumst probrum.*

— 231: *Egone Argivum imperium attingam?* || *aut Pelopis digner domo?*

— 301: *Eloquere propere ac pavorem* || *hunc meum expectora.*

— 432: *Neque ratumst quod dicas, neque quae* || *agitas, dicendi est locus.*

— 451: *Eumpsum vitae finem ac fati* || *internecionem fore.*

— 476: *Ubi nihil contra rationem aequam* || *habuit, adsensit silens.*

---

1) Eos tantum versus enumeravi qui quin fuerint senarii septenariique, vix dubium esse potest. Tamen lubricos esse numeros et alium alios numeros paulo diversos constituere posse consentaneum est. Neque vero ad rem pertinent hae parvae differentiae.

2) De huius generis fabularum forma metrica cf. Leo, Hermes 49, pg. 171, ann. 1.

Titin. 24/25: *Quae inter decem annos nequisti || unam togam detexere.*

Pompon. 7: *At ego rusticatim tangam, || urbanatim nescio.*
— 97: *Neque interim cacandi causa || umquam incoxavi nate.*
— 119: *Quid habes in syrpiculis, calve? || Omne piscati genus.*
— 125: ... *nisi nunc aliquis subito || obviam occurrit mihi* [1]).
— 136: *Nobis disparem divisum: || huic seni senium et metum.*
— 171: *In terram, ut cubabat, nudam || ad eum ut conquexi, interim.*

Novius 13: *Iam ego illi subiens sublabrabo || esui illud sinciput.*
— 15: *Si tres mensae sint in aede, || ut pariter dispertiam.*
— 70: *Supparum purum Veliense || interim escam meram* [2]).
— 97: *Puriter volo facias: igni || atque aqua volo hunc accipi.*
— 98: *Atque facilitatem, video, || uteris vulgariam.*

Nihil valent hi versus: Naev. c. 19; Caec. 214; Pac. 237; Acc. 13; Titin. 59.

Eadem ergo ratio quam exstare vidimus inter Plautum Terentiumque, intercedit eodem modo inter Ennium Pacuviumque et Accium poetasque fabularum Atellanarum. Quod ut magis eluceat, iterum liceat componere numerorum conspectum:

	troch. sept.	hiatus		troch. sept.	hiatus
Naev. tr.	10	1	Accius	119	6
— c.	21	1	Pomponius	73	6
Caecilius	26	1	Novius	38	5
Ennius	136	—	Titinius	25	1
Pacuvius	116	—			

Alteri igitur videntur hiatum evitare in diaeresi trochaica septenarii trochaici, alteri admiserunt secundum exempla collecta. Hoc autem maximi momenti est, quod mutata arte non modo Plautus Terentiusque, sed alii quoque poetae usi sunt. Demonstratur enim et compro-

1) Cf. pg. 65.
2) *belliensem* codd.

batur mutatio quae exstitit inter Plautum et Terentium, minime esse inaudita vel ratione carens, sed regi hic usus hiatus in diaeresi collocandi voluntate poetarum, nam uterque poeta et Plautus et Terentius habet quibuscum eadem arte cognatus est. Et hoc quoque observandum est et notandum Ennium Plautinam artem non sequi, sed Ennius Terentium ut discipulum duxisse videtur.

Denique est aliud discrimen inter Plautum et Terentium. Amat enim Terentius synaloepha coniungere duas partes septenarii trochaici, Plautus non item. Quod ut demonstretur, numeri considerentur quos, quamquam in omne genus synaloephae Terentianae et Plautinae acrius inquirendum esse non ignoro, affero, cum nobis ad hanc rem pernoscendam satisfaciant:

Poenulus	3,09 %	Hecyra	16,02 %
Miles glor.	5,53 „	Eunuchus	13,82 „
Trinummus	9,17 „		
Truculentus	5,97 „		

Totiens enim poeta in centum septenariis trochaicis in singulis fabulis diaeresim synaloepha delitescere passus est. Plauti autem numeri, quamquam maxime inter se differunt, tamen Terenti numeris omnes multo minores sunt. Plautus igitur magis diremit versus partes quas Terentius oblitterare et synaloepha detegere non dubitavit.

Sed recordemur quae supra diximus de synaloepha in caesura senarii posita et a Plauto et a Terentio. Ibi enim item Plautus et Terentius inter se differunt amans vel spernens synaloepham in incisione versus et item qui magis amat synaloepham, spernit hiatum. Tamen multum abest, ut propterea comprobatum esse dicamus Plautum admisisse revera in caesura senarii hiatum.

Nam obstant duo argumenta et ea gravia. Primum enim hoc: omnes poetae qui Plautum praecurrerunt aetate vel secuti sunt, unam eandemque effigiem nobis prae-

bent evitati in caesura hiatus. Quare etsi cognatio est inter Plautum Terentiumque secundum usum synaloephae in intercisionibus senarii septenariique usurpatae et ob eam causam synaloephae Plautinae atque Terentianae per se spectatae hiatum comprobare videntur ut in incisione septenarii Plautini, ita quoque in incisione senarii eiusdem poetae, tamen fragmenta alterum hiatum scilicet in diaeresi comprobant, repudiant alterum in caesura.

Secundum autem argumentum quod obstat, hoc est. Ratio enim metrica quae hiantem paene dixi postulat septenarium in diaeresi, eadem vetat hiare senarium in caesura.

Quare nunc sic concludere possumus. Antea [1]) diximus causas demonstrandas esse ei qui hiatum caesurae senarii iambici legitimum esse putet, cur mutatus sit usus inter Plautum et Terentium ceterosque poetas. Nunc etiam hoc, ut explicetur, postulabimus, cur in tractanda septenarii diaeresi Plautum secuti sint poetae nonnulli, in caesura senarii tractanda non item. Ergo iterum iterumque confirmatur sententia eorum qui numerum versuum hiantium non esse argumentum putant, comprobandum vero unum quodque genus hiatus, ut recte servatum credamus.

DE DIAERESI IAMBICA SENARII IAMBICI, SEPTENARII TROCHAICI.

Quoniam supra de caesura senarii iambici diximus, restat ut de diaeresi disseramus quam inesse illi versui demonstravit Jacobsohn [2]). Sed utile est una cum hac diaeresi etiam ceteras duas diaeresis iambicas tractare. Et quod signum est diremptionis et diaeresis, scilicet brevis

---

1) pg. 75.

2) Quaestiones Plautinae, Diss. Göttingen 1904. Cf. Leo Pl. F.² pg. 334, ann. 1.

syllaba in arsi posita, nonnumquam repertum est in fragmentis, obscuratum quidem aliquotiens coniecturis editorum, sed in codicibus sine dubio traditum:

Acc. 301: *Eloquerĕ propere ac pavorem hunc meum expectora* [1]).

Titin. 45: *Parasitos amovi, lenonem aedibŭs absterrui.*

— 105: *Ipsus quidem hercle ducerĕ sane nevolt* [2]).

Quorum versuum in numerum fortasse locandus est Ennianus v. sc. 121.

Ut tibĭ Titanis Trivia dederit stirpem liberum.

Nam semper fere pyrrhichica vel elisa forma vocis *tibi* Ennius utitur, in fine accenta *tibí* tantum in versu sc. 290 quem dubium esse puto (cf. pg. 29), et in fine versus sc. 419, var. 57 et in annalium v. 45 *His verbis: „o gnata tibí sunt ante gerendae"*. Sed in annalibus Enni breves quoque syllabae ultimae arsim explere possunt, secutus enim est Ennius morem Homeri (cf. Norden comm. in Aen. VI pg. 439 sqq.). Ergo *tibi* iambicum esse versu allato demonstrari non potest. Restat ergo unus ille versus sc. 121.

Praeterea passim docuit Jacobsohn in fragmentis obsoletas aliquas formas iisdem locis usitatas esse atque syllabas ancipites et vocales ante voces a vocali incipientes. In fragmentis autem haec exempla hiatus insunt:

in quarta arsi senarii:

Pacuv. 5: *Ita saeptuose dictió || abs te datur.*

Afran. 176: *Venire et mecum speratúm || adducere.*

in sexta arsi septenarii trochaici:

Liv. c. 3: . . . *ornamento incedunt nobilí || ignobiles.*

Acc. 301: *Eloquere propere ac pavorem hunc meúm || expectora.*

Nov. 70: *Supparum purum Veliense interím || escam meram*

---

1) Nam *eloquerĕ* verbum latinum accini minime potest.

2) Fuerit *-e* ultima infinitivi longa Plauti tempore — etsi mihi quidem persuasum est brevem fuisse — Titini tempore sine dubio brevis erat. Cf. Jacobsohn l. l. pg. 40/41.

et fortasse Pac. 248:
Pariter te esse erga illum video, ut illum té || *erga scio,*
sed dubium est, remanseritne fortasse priscae formae *ted* exemplum.

In secunda denique arsi septenarii trochaici:
Liv. tr. 26: *Ego puerúm* || *interea ancillae subdam lactantem meae.*
Acc. 452: *Meleagró* || *ubi torrus esset interfectus flammeus.*
Titin. 58: *Sin formá* || *odio sum, tandem ut moribus placeam viro.*

Duorum versuum mensura ambigua est: Pompon. v. 96 (cf. pg. 65 et 88) et Turpil. v. 123 (cf. pg. 54).

Ergo demonstratum videtur hoc genus hiatus non Plauti solius esse et Plautus fragmentorumque poetae cognatam quandam artem sequi videntur. Et bene convenit, quod eius hiatus quem non modo numero versuum, sed aliis quoque rationibus comprobatum habemus in fabulis Plautinis, exempla non desunt in fragmentis. Causam quidem ipsam quae his locis versus attribuat naturam diaeresis, nondum cognovimus. Neque vero, quin fuerit hic hiatus, dubium esse potest.

DE HIATU ANTE — ◡ — ◡ $\overset{6}{\acute{-}}$ VEL — ◡ $\overset{6}{\acute{-}}$ COLLOCATO.

Tamen Klotz, cum librum conscriberet de prisca re metrica Romana, plane negavit agnosci posse talem hiatum in arsi ante ultimum diiambum[1]. Quod exemplum docere nos debet, quam caute nobis procedendum sit, cum tractare conemur quaestionem tam contortam, tot coniecturis tentatam. Quare cum nobis tres quattuorve versus praebeant hiatum vel in semiseptenaria vel ante ultimum creticum, hos versus sententia quidem et mensura integros propter solum hiatum improbare non audemus, freti contingere posse, ut ei hiatus vel legitimi ve

1) l. l. pg. 177/8.

falsi esse pro certo demonstrentur. Maior quidem est numerus versuum qui mutatione aliqua egent vel alia mensura, ita ut hiatus certus non sit in iis.

Sed primum consideremus hiatus in semiseptenaria senarii traditos. Priscam autem formam aliquam vel naturam litterae *-m* [1]) excusant hi versus:

Liv. c. 2: *Corruit quasi ictus scena* || *hau multo secus.*
Naev. c. 27: *Qui decumas partes? quantum* || *alieni fuit.*
Afran. 163: *Septembris heri Kalendae* || *hodie ater dies.*

et eodem loco octonarii iambici:

Turpil. 211: *Hoc te oro ut illius commiserescas miserae* || *orbitudinis.*

Corrigendi sunt hi versus: Naev. c. 20; Caecil. 77; Acc. 377, 413; ex inc. inc. trag. 122.

Restant denique duo versus quorum priorem hiare Cicero testificatur: Naev. tr. 61:

Quam numquam vobis Graii || *atque barbari.*

Liv. tr. 41: *Quinquertiones praeco* || *in medium vocat.*

Ante ultimum creticum hiant hi versus qui argumento esse non possunt:

Acc. 57: *Cum striderat retracta rursum* || *inferis.*
Turpil. 123: . . . *hortari nostros coepi* || *ilico.*
Afran. 309: *Hi coniecere verba inter se* || *acrius.*
Naev. c. 52: *In alto navem iubet destitui* || *anchoris.*

Corrigendi hi versus: Naev. tr. 34; Pac. 315; Acc. 267, 496; Turpil. 24, 203.

Et iterum duo tantum exempla relinquuntur:

Afran. 274: *Deliberatumst non tacere* || *amplius.*

et octonarius iambicus: Titin. 119:

Etsi tacebit, tamen gaudebit sibi promitti || *orcas.*

Breviter quae ad Plautum pertinent, tangi possunt, cum in eius fabulis tales hiatus insint quibus mederi vel mutationem inferre non licet. Eos quoque sicut fragmentorum exempla, retinere malo, quam corrigendo conterere vestigia quae sunt fortasse, veri.

---

1) Cf. infra caput quod inscribitur: De littera *-m* (pg. 96).

DE DIAERESI SEPTENARII OCTONARIIQUE IAMBICI.

Supra cum ageremus de diaeresi septenarii trochaici[1]), nos facere diximus cum Klotzio qui eo loco versus Terentium evitasse hiatum ostendit. Sed, cum etiam in diaeresi septenarii octonariique iambici Terentium omnino fastidisse hiatum syllabamque ancipitem — quae in iambicis versibus, ut comprobemus diaeresim, nos iuvat — Klotz contenderit, dubito, an recte iudicarit, cum tam pro certo proferret hanc sententiam. Tamen, utut est, etiam in hoc genere hiatus Plautus multo differt a Terentio, cum saepe signo diaeresis dirimat partes versuum iambicorum. Et in hac quoque diaeresi tractanda sunt poetae qui Plautum sequuntur. Pauca enim exempla in fragmentis hoc docere nos videntur. Neque vero multum prodesse nobis possunt, cum tam parvus sit numerus septenariorum et octonariorum iambicorum. — Exempla haec sunt:

Naev. c. 110: *Eum suus pater cum pallio* || *uno ab amica abduxit.*

nisi ablativi prisca forma remansit.

Caecil. 168: *Consequitur comes insomnia* || *ea porro insaniam affert.*

— 229: *Nunc meae militiae, Astutiá* || *opus est subcenturia⟨re⟩.*

Turpil. 197: *Infelix inter tuniculam* || *ac strophium conlocaram.*

— 209: *Nihil quicquam a me est praemi nequé* || *erat tuae benignitatis.*

cf. supra pg. 55.

Syllabae ancipitis hoc exemplum inveni:

Pompon. 115: *Quae tuleram mecum miliă* || *decem victoriata.*

Monendum est neque in Enni undeviginti octonariis iambicis neque in Pacuvi octo versibus inesse hiatum aut syllabam ancipitem. Quod quamquam nihil comprobat

1) pg. 75 sqq.

contra ea quae de diaeresi septenarii trochaici qualem eam usurpaverint Ennius et Pacuvius, nos docuerunt fragmenta[1]), tamen ut haec stabiliantur, parvi momenti tantum est, quia ne in Acci quidem octonariis sedecim inest syllaba anceps aut hiatus cuius in versibus sex hiatus invenimus in diaeresi septenarii trochaici.

DE ANAPAESTICIS ET LYRICIS VERSIBUS

pauca tantum monenda sunt.

De hiatu in anapaesticis quos putant, versibus Enni et Titini constituto a nonnullis viris doctis supra dixi pg. 25 et 58:

Ennius sc. 77: *Qui suo partu* || *ardua perdat Pergama.*

Titin. 130: *Verrite* || *aedis, spargite, munde facite in suo quique loco ut sita sint.*

Restat unus tantum hiatus in diaeresi:

Titin. 69 = Nonius 352, 6:

Magis quae famae obiectarent, né || *eam malefactis nobilitarent.*

Cui versui multi malefecere. Sed iniuria. Praecedere enim potuit tale quid: Absconditerunt . . . Sensus autem hic est: Tacendo maluerunt servare bonam famam, quam dicendo nocere ei de quo agitur in eis versibus. Quare tangere tradita verba non debemus.

In lyricis denique versibus duos tantum hiantes versus inveni: Enn. sc. 87 et Pompon. 41 de quibus supra (pg. 26 et 64) dixi.

Ennius sc. 87: *Auxilio* || *exili* || *aut fuga freta sim.*

Pompon. 41: *Quo palumbem unum* || *ex ore tollit.*

Iam accedamus ad alteram partem inquisitionis qua agamus de verbis monosyllabis, iambicis, polysyllabis quae exeunt in vocalem longam, et de verbis quae finiunt in litteram *-m*.

---

1) Ennius enim et Pacuvius evitaverunt hiatum in diaeresi trochaica septenarii trochaici. Cf. pg. 76 sq.

DE MONOSYLLABIS.

A. In thesi.

Naev. c. 96: *Si* || *umquam quicquam filium rescivero* cf. pg. 23.
Enn. sc. 299: *Neque tu* || *umquam in gremium extollas liberorum ex te genus* cf. pg. 30.
Caecil. 242: *Qui* || *aétatis quod relicuom est oblectem meae* cf. pg. 38.
Pacuv. 237: *Qua super re* || *interfectum esse Hippotem dixisti* cf. pg. 40.
Titin. 46: *Desuevi nequo* || *ad cenam iret* . . . cf. pg. 56.
— 109/110: *Paula mea, amabo, pol tu* || *ad laudem addito: praefiscini* cf. pg. 58.

Sed omnes hos versus dubios esse supra vidimus, cum vel male traditi sint vel aliam mensuram admittant, quin etiam flagitent. Plauti autem usus multo differt ab his quae ex fragmentis enucleari possunt. Cuius usus Plautini Maurenbrecher[1]) exempla collegit. Neque vero unum certum exemplum huius usus invenimus in Terenti versibus[2]). Et hoc maxime monendum est praeter Plautum non esse in cuius fabulis nobis tales hiatus traditi sint. Quare obloquendum est Maurenbrechero[3]) qui in fragmentis scaenicae poesis Romanae inveniri putat exempla hiatus vocum monosyllabarum in thesi positarum, similia iis quae Plautus usurpaverit: in fragmentis Naevi (c. 96 *si*), Caecili (242 *qui*), Titini (46 *quo*), Pacuvi (237 *re*), Enni (sc. 299 *tu*)[4]). Deinde addit Maurenbrecher ex his hiatibus concludendum esse non modo hiatus vocalium *ī*, *ō*, *ū*, verbi *rē*, sed etiam talium vocum *quae, quā, de, ne* in Plauti fabulis esse legitimos. Tamen, cum viderimus

1) l. l. pg. 160 sqq.

2) Leo Pl. F.² pg. 2, ann. 2; Maurenbrecher l. l. pg. 167, ann 2.

3) l. l. pg. 170.

4) *Quoi* in thesi positum ante vocalem non efficere hiatum supra monui, cum forma duarum syllabarum *quoiei* vel *cuii* hiatum amoveat. Quam formam inserere versui tradito non est mutare tradita, sed interpretari.

Maurenbrecherum profectum esse a versibus male traditis qui fundamentum esse non possunt tali inquisitioni, non concedimus Plauti genus hiatus ullo modo fulciri usu poetarum ceterorum priscae artis. Sed Plautus unus est in cuius fabulis hoc genus hiatus nobis traditur.

B. In arsi.

Sed haec hactenus de monosyllabis in thesi positis quorum exemplum certum neque in Terenti fabulis neque in fragmentis invenimus. Quo magis animadvertendum est monosyllaborum quae in arsi posita sunt ante vocalem, scilicet in arsi soluta, permulta inveniri exempla et ea fere omnia bonis testimoniis confirmata:

Caecil. 61: *Quí || homo ineptitudinis cumulatus, cultum oblitus es?* Cf. pg. 34.

Pacuv. 72: *Semper satis agere ut né || in amore animum occupes.* Cf. pg. 39.

Titin. 33: *Ut mihi subvenias, ne || ego maialis fuam.* Cf. pg. 56.

— 169/70: *Sí || erit tibi cantandum, facito usque exvibrisses...* Cf. pg. 60.

Afran. 103: *Au, mí || homo! immo edepol vos supremum meum concelebrètis diem.* Cf. pg. 62.

— 120: *Jactabit sese. Jactet. Mí || erit tristior.* Cf. pg. 62.

Pompon. 81: *Sí || eum nemo vocat, revortit, maestus ad maenam miser.* Cf. pg. 64.

— 123: *Nam plus quaesti facerem quam quadrinas, sí || haberem molas.* Cf. pg. 65.

— 159: *O || hominem beatum quo illae pervenibunt ditiae*[1]. Cf. pg. 66.

Novius 86: *Quí || habet uxorem sine dote, pannum positum in purpurast.* Cf. pg. 67.

---

1) Fortasse sic prima arsis constituenda. Sed conferas quaeso quae Paulus Richter de *o* disseruit (Studemundi stud. I. pg. 597, V a).

Ergo, quae saepe in Plautinis fabulis observari possunt, nunc invenimus in fragmentis poetarum qui eum sequuntur aetate. Et item, ut supra in tractandis monosyllabis in thesi positis, videmus eundem usum qui in fragmentis est [1]), inesse in Terenti fabulis. Terentium enim usurpasse monosyllaba longa vocali finita in priore parte arsis solutae ante vocalem verbi sequentis Bentley iam cognoverat. Docuit enim in schediasmate de metris Terentianis conscripto [2]): „In his autem aliisque similibus tria sunt observanda; nunquam hoc fieri nisi in verbo monosyllabo; quod verbum si in vocalem exit, oportet syllabam esse longam; ictum denique habere in prima syllaba anapaesti".

Quare iure hunc hiatum non modo Plauto Terentioque ascribere possumus, sed etiam aliis poetis scaenicis priscis. Et consentaneum est — cum constet inter viros doctos [3]) legitimum esse hunc hiatum qui non probetur ratione metrica quadam, sed usu sermonis vivi et cottidiani — reperiri hunc hiatum ut in Plauti, ita in aliorum quoque poetarum fabulis, neque vero omnium. Nam cum exempla perlustrabimus, cognoscemus uno versu Pacuvi excepto ceteros versus omnes servatos esse in fragmentis comicorum, sed plurimos in fabulis togatis et Atellanis. Afranium autem et Titinium scimus [4]) saepe imitatos esse Plauti Terentique sermonem, illum vero magis esse Terentianum, quam Plautinum [5]). Et sic bene omnia in unum conveniunt. Nam quos etiam secundum alia signa cognatos esse concluserunt viri docti, eos nunc quoque sibi esse simillimos videmus.

---

1) Maurenbrecher (l. l. pg. 169) etiam in Acci versibus inesse hiatum verbi in *ē* finientis dixit. Sed cum perscrutarer versus, non inveni.

2) Lpzg. 1791, pg. XVII.

3) Skutsch, Philologus 59, 1900, pg. 481 sqq. Qui verba monosyllaba in longam vocalem et in *-m* finientia unius eiusdemque generis esse putat. Quae cur diviserim, infra elucebit.

4) Leo Litg. pg. 310.

5) Cf. Afrani versum 29; Leo l. l.

Acci autem, ut puto, et Enni fragmenta tacent, casu fortasse, nisi hunc quoque hiatum Ennius consulto amovit.

DE VERBIS IAMBICIS.

Tractatis verbis monosyllabis transeamus ad verba iambica quae in vocalem exeunt. Quae verba saepe in Plauti fabulis collocantur in arsi ante vocalem[1]). In Terenti autem fabulis duos tantum esse traditos tales hiatus dicit Leo[2]): Eun. 132, Heautt. 890 (Phorm. 1047: nihil probat hic versus, male constitutus); sed comprobare hos versus tam raros, cum sescenti obstent aliter comparati, non hiasse Terentium. Quid in fragmentis? Nonnulli versus prava ratione traditi in codicibus nos non adiuvant: Naev. c. 7; Enn. sc. 177; in dubitationem vocati Enn. sc. 142. Tit. 11. Et Pomponi versus 96: *Mulier ubi aspexit tam mirifice tutulatam truam* sitne legendus cum hiatu verbi iambici: *Mulier ubí* || *asp* . . . an hiatus in diaeresi secundae arsis collocandus: *Mulier ubí* || *asp* . . .[3]) incertumst et simili iudicio iudicandum de Novi versu 50:

Inferúm autem ubi || *ego omnes digitos diffregi meos* vel *Inferúm autem ubi ego* || *omnes* e. q. s.

Relinquuntur denique hi versus:

Caecil. 186: *Opulentitate nostra sibi* || *iniuriam.* Cf. p. 37.

Acc. 85: *An mala* || *aetate mavis male mulcari exemplis omnibus.* Cf. pg. 44.

— 425: *Oeneum aliquis cette in conspectum, aut nos, ubi* || *est ducite.* Cf. pg. 50.

---

1) Exempla collegerunt Klotz (l. l. pg. 126 sqq.) et Spengel (T. Maccius Plautus pg. 204 sqq.).

2) Pl. F.² pg. 2/3, ann. 2.

3) Anapaestus enim diremptus, qui vocatur, in prima thesi septenarii trochaici offensioni non est (cf. pg. 81).

Pompon. 63: *Quid futurumst si pol ego || hanc discere artem adtenderim?* Cf. pg. 64.

Tamen cum hi versus servati sint, non audeo contendere prorsus abesse a fragmentorum arte — dummodo liceat eorum artem unam vocare —, quod tractamus genus hiatus, praesertim cum ratio sermonis non deficiat hunc hiatum. Item enim, ut voces monosyllabae in longam vocalem finientes ante vocalem verbi sequentis quocum uno accentu coniunguntur, corripiuntur et hoc modo hiatum admittunt, sic iambica quoque verba corripere videntur alteram vocalem in fine positam ante vocalem, ut arsim secundum morem expleant.

Suam igitur propriam naturam secum ferre videntur verba iambica, quamquam quae Lachmann[1]) de evitata synaloepha vocum iambicarum in carminibus poetarum posteriorum „tantum non omnium" indagasse sibi visus erat, ab Haveto concussa labefactaque sunt[2]). Demonstravit enim non iambica tantum verba, sed pyrrhichica quoque raro synaloepha coniungi cum syllaba accenta verbi sequentis. Latius deinde progressus est Norden[3]) qui docuit in versibus hexametris omnino perraro ultimam longam syllabam, non modo iambicarum, sed omnium vocum, synaloepha coniungi cum accenta syllaba verbi sequentis. Quae si recte disputaverunt Norden et Havet[4]), usus poetarum posteriorum nihil nos docet de natura verborum iambicorum.

Sed quin inquirimus in ipsa fragmenta et fabulas Plauti Terentique! Evitaturne in eis synaloepha? Vix contendere possumus eam evitatam esse. Hoc enim discimus respicientes, quot verba ex centenis verbis iambicis eli-

---

1) Comm. in Lucr. pg. 196 sqq.

2) Phaedrus, 1895, pg. 165 sqq.

3) Comm. in Aen. libr. VI, pg. 450 sqq. imprimis pg. 458.

4) Leo in altera quoque editione quaestionum Plautinarum (pg. 335) Haveti et Nordeni sententiam non accepit, Lachmanni doctrinam non refutatam esse videtur credidisse.

duntur in versibus poetae unius cuiusque. Quos numeros exscribere volo, cum alio modo non posse disputari putem de quaestione prosodiaca:

Naevius tr.	20,00	Terenti Hec.	24,46
— c.	6,98	— Eun.	24,73
Plauti Poen.	30,34	Accius	15,79
— Mil. gl.	31,54	Turpilius	14,64
— Trin.	23,48	Titinius	23,08
— Truc.	22,54	Afranius	18,92
Caecilius	26,92	Pomponius	22,64
Ennius	24,14	Novius	22,22
Pacuvius	25,00		

Non igitur evitatur elisio verborum iambicorum in priscis fragmentis, etsi poetae alii aliter ea tractaverunt. Maximum enim numerum praebent Plauti Miles et Poenulus, minimum Accius et Turpilius. Neque hoc, cum desit testimonium numerorum, pro certo possumus contendere paulatim minui numerum elisionum, etsi Titinius, Afranius, Pomponius, Novius hi quattuor omnes relinquunt numeros Caecili, Enni, Pacuvi, Plauti, Terenti. Neque vero evitatur synaloepha.

Accius autem suum locum videtur tenere in numerorum tabula appicta ob parvum numerum elisionum. Accedit autem, quod eiusdem Acci duo versus, certe non male traditi, hiatum servaverunt verbi iambici. Recte igitur faciet qui Accium dicet videri voces iambicas non sprevisse in hiatu ponere, item non amasse elidere ea, scilicet, si cum ceteris poetis eum comparaveris. Turpilium autem si quis eodem modo elisionem vocum iambicarum sprevisse contenderit, conscius sibi esto non item pro certo in Turpili fragmentis numerum minorem elisionum atque in versibus Accianis artem poetae demonstrare, cum desint exempla hiatus.

Ergo videtur demonstratum esse verba iambica non modo non in carminibus poetarum posteriorum ob naturam iambicam, sed ne in Plauti quidem ceterorumque poe-

tarum poesis priscae fabulis elisionem evitasse. Sed caveamus, ne, cum causa hiatus, quam putaverant, nos fefellerit, temerius ingrediamur. Neque enim ob eam rem hiatum improbandum puto.

Nam, ut iam supra monui, in arsi soluta vox iambica ante vocalem vim aliquam alterius syllabae perdit et tali modo arsim explet. Neque igitur videtur deesse ratio prosodiaca. Accedit alterum, quo, ut caute agamus in hac parte, monemur. Nam vix dubium est, quin hiatum quem pati posse videntur verba iambica, dirimere non debeamus ab illa lege quae verba iambica pyrrhichica fieri patitur cuius causam intimam nondum cognovimus. Utraque enim res et hiatus verbi iambici et correptio iambica causam suam sumpsit, non dubito, ex sermone vivo qui quales leges observaverit, adhuc nescimus. Neque cum alteram, scilicet correptionem vocum iambicarum, etsi ignari sumus, quae fuerit causa, agnoscamus, alteram, hiatum eorundem vocabulorum quorum natura adhuc latet in obscuro, repudiare possumus.

Nonne duplex esse potuit usus tractandi verba iambica in sermone quorum alter illam vocem artius coniunxit cum verbo antecedente vel sequente, alter eam suo ipsius sono pronuntiavit et fortasse maiore quadam vi praedidit, ut hac de causa evitaretur hiatus? Tamen paulatim alter usus evanuit, alter maiorem in partem crevit. In fragmentis autem, nisi nos fallunt testimonia casu tantum servata, uterque usus traditus est, ut in Plauti fabulis. Neque igitur licet, ut videtur, improbare hiatum vocum iambicarum.

DE ABLATIVO ET VERBIS *MED* ET *TED* ET VERBIS IN LONGAM VOCALEM EXEUNTIBUS.

Consentio cum eis quae Maurenbrecher[1]) disseruit de historia ablativi in *-d* finientis qui in inscriptionibus

1) pg. 110 sqq.

inest[1]), et concedo recte eum iudicare, quibus poetis secundum ea quae nos docent inscriptiones, attribui possit prisca forma, Livium enim Naeviumque vigente adhuc littera *-d* fabulas scripsisse et ob eam causam fortasse usurpavisse formas consona *-d* finitas, Ennium autem vix potuisse uti formis eius temporibus, ut videtur, obsoletis; neque vero ex ratione iudicari posse, sed fragmenta debere nobis esse magistros. Nunc vero Maurenbrecherum ducem sequi nolo, nimis enim fideliter, opinor, testibus suis credidit. Nam semel tantum vel bis fortasse agnosci posse puto formam *med* vel *ted*. In Naevi comico versu quinto:

. . . age ne tibi
Med advorsari dicas, hunc unum diem.

Hic versus est testis locuples. Et Pacuvius quoque fortasse[2]) semel retinuit priscam formam *ted*, ut altae dictionis signum:
248: *Pariter te esse erga illum video, ut illum ted erga scio.*
Sed est hiatus ante ultimum diiambum septenarii trochaici. Ceteros autem versus quos vel Maurenbrecher vel alii viri docti acceperunt, repudiendos censeo; cur id faciam, supra uberius exposui, quam ut hic repetere debeam. Sed singulos versus nominare non erit inutile. Male traditi: Enn. sc. 62, var. 45; Caec. 8, 74; Acc. 53, 113, 372; Titin. 65; Afran. 309. Alia mensura indigent hi versus: Pacuv. 150, 395; Acc. 283; Pompon. 177.

Ergo, quae Maurenbrecher putat de historia formarum *med* et *ted* constitui posse (pg. 117), argumentis non confirmantur[3]).

Transeamus ad voces ablativae formae. Cuius generis unum exemplum etsi non fidissimum invenimus in Livi fragmentis:

---

1) Ut commode inspici possint, exempla *-ad* et *-od* et *-id* collegit Diehl, Altlateinische Inschriften[2] pg. 77 sq.

2) Cf. pg. 81.

3) Acci versus 388 sic legendus: *Quibu(s) nám te aibant ortum locis,* frustulum octonarii iambici vel septenarii.

c. 2: *Corruit quasi ictus scenai, || hau multo secus.*

Sequens autem versus: ... *ornamento incedunt nobili ignobilis* testimonio esse non potest ob naturam arsis ante ultimum iambicum metrum collocatae. Naevi autem tria exempla sunt:

c. 13: *Nímio || arte colligor, cur re inquisita colligor.*

c. 18: *Cui cépe edundo || oculus alter profluit.*

c. 110: *Eum suus pater cum pallio uno || ab amica abduxit.*

Neque vero quicquam in hoc versu *pallio* probat in diaeresi. Sed eiusdem poetae versus tr. 34 (cf. pg. 19) et c. 7 (pg. 20) fide indigni sunt. Incertus denique iudex sum in iudicando versu 142 sc. Enni: *Suarum rerum incerti quos ego mea || ope ex* (cf. pg. 26) et Acci versu 337: *Numquam erit tam immanis, cum mea opera || extinctum sciat.* Magis enim Acci tempore inveteratae erant formae consona finitae, quam ut contra tot et tam certos versus qui ablativos elisos tradunt, singulum hunc versum pristinam formam comprobare posse putemus.

Ceteri vero et horum et ceterorum poetarum versus non ei sunt quibus uti possimus ad iudicandum hiatum, sive male traditi sunt: Enn. sc. 55, 77; Pacuv. 237, 315, 364, 382; Acc. 498; Turpil. 203; Afran. 261; Pomp. 124; Atta 4, sive alia mensura adhibenda est vel natura loci versus pristinam formam non esse usurpatam ostendit: Enn. sc. 87; Pacuv. 293; Acc 84, 85, 653; Titin. 58; Atta 8; Pompon. 97, 125; Nov. 97.

Post Livi Naevique tempora fragmenta tacent et iterum conspirant cum fabulis Terenti qui item vestigium litterae *-d* nullum habent. Quid de Plauto? In eius fabulis nullus versus est qui habeat in arsi formam ablativi quae non ceteras quoque vocales et eas longas recipiat[1]). Quare etiam ceteri versus omnes qui ablativi formam in thesi praebent ante vocalem — *med* et *ted* excepta volo — in suspicionem redeunt, an prisca forma *-d* consona aucta revera sit causa hiatus admissi. Denuo

1) Jacobsohn quaest. Plaut. pg. 46—48.

igitur hi versus tractandi sunt. Quos si quis examinabit, scito in arsi nullum stabilimentum inveniri priscae formae neque in Plauti neque in posteriorum poetarum versibus. Quare non recurrere debemus ad obsoletam formam, ut hic hiatus comprobetur, nisi nullo alio modo explicatio inveniri poterit.

Et hoc quoque commonendum est Plautum non esse amatorem priscae linguae qui accierit obsoletas formas libenter. Nam quamquam perlustranti fabulas nonnulla vetera se obviam dant, tamen fere semper tales formae nobili quodam loco versus positae sunt vel ante diaeresim vel in fine versus quos locos receptacula esse insolitarum rerum vel novarum vel priscarum notum est. Ablativi autem in thesi positi, si quid video, nullum locum versus praeferunt ex quo recipiant excusationem.

Quare si denuo inquiretur in hos versus, tractandae erunt illae formae eodem modo atque cetera verba quae in longam vocalem exeuntia in thesi finiunt ante vocalem. Huc pertinere videtur Naevi versus c. 115:

uterum scapulae plus an collus calli || habeat nescio.

Sed hic solus est hiatus huius generis quem inveni in fragmentis. Corrupta enim sunt cetera exempla Caecil. 68; Turpil. 65; Acc. 496 [1]).

Sed in Plauti versibus persaepe nobis talium vocum hiatus traditus est [2]). Neque oblivisci debemus tales formas non solas esse quas Plautus unus usurparit. Nam supra vidimus eum unum etiam verbis monosyllabis in thesi positis ante vocalem usum esse. Voces autem monosyllabas, vocali finitas, et polysyllabas, item in vocalem exeuntes, diversa ratione prosodiaca explicare non debemus.

Et est, nisi fallor, via qua ambo genera hiatus Plautini explicemus et coniungamus cum verbis monosyllabis in

1) Item corrupti versus in quibus verbum in brevem vocalem finiens hiat: Turpil. 56; Enn. var. 58; Acc. 460.

2) Maurenbrecher pg. 184 sqq. exempla collegit.

arsi ante vocalem positis. Quae legitima esse constat, nam corripiuntur ante vocalem alterius syllabae quae arsim explet. Correpta igitur vox monosyllaba et brevis syllaba sequens unam arsim eandemque usitatam efficiunt. In thesi autem minime interest, sitne longa an brevis syllaba quae thesim efficit, nisi forte in thesi pura ante finem versus vel diaeresim. Quare rationem quam explicare putant in arsi monosyllaba, transferri volo etiam in voculas monosyllabas in thesi positas et ultimas syllabas verborum plurium syllabarum quae in vocalem finiunt: corripi enim has syllabas, correptas autem ut in arsi hiatum pati posse, ita ut non syllaba longa thesim expleat, sed brevis ante vocalem, velut: *Úbi tu* || *hunc* Epid. 379 = ◡◡ ◡ –́. Neque enim est, cur haec monosyllaba et polysyllaba tali modo secernamus ab exemplis quae legitima esse concedunt: *di* || *amént* = ◡ ◡ –́. Nam in talibus exemplis monosyllaba corripi debent, in illis autem quae antea tetigi, possunt. Neque mirum est, quod non eodem modo, atque *di* in *di* || *ament*, ultima syllaba verbi plurium syllabarum corripitur, quae in thesi posita est, ante verbum a vocali incipiens cuius prima syllaba item non in arsi collocata est. Neque enim *nóstrĭ* || *ămánt* legere potes in versibus iambicis trochaeisve, cum non modo possint synaloepha coniungi tales syllabae cum sequente voce, sed etiam debeant, ne anapaestum perscissum fingant.

Sed viguisse talem correptionem syllabae ultimae non modo vocum monosyllabarum discimus ex Enni versibus hexametris:

ann. 28: *Cum suo* || *obsidio magnus Titanu(s) premebat.*
var. 3: *Scipio* || *invicte.*
var. 15: *Aspicite o cives senis Enni* || *imaginis formam.*

Non ignoro nisum esse Ennium, cum hanc correptionem susciperet in hexametrum, systola quam dicunt, epica graeca. Neque vero, nisi sermoni latino quoque innata fuisset haec consuetudo corripiendi vocalem finientem ante vocalem hiatu evitato, Ennius systolam graecam

suscipere potuisset. Metricam licentiam Ennius sibi asciscere non potuit nisi ex sermone vivo.

Si talis ratio est vocum quae in vocalem longam in thesi positam exeunt, consentaneum est longas syllabas non in arsi inveniri ante vocalem sequentem[1]). Nam cum corripiantur sequente vocali, minor est earum vis, quam ut arsim ferre possint. Quare in arsi collocari non possunt, nisi forte haec arsis alias quoque breves syllabas suscipit[2]).

Tali igitur modo ratio, puto, inveniri potest quae una explicet, cur in Plauti fabulis et monosyllaba vocali finita et ablativi in *-o*, *-a*, *-i* exeuntes inveniantur in thesi ante vocalem similemque usum secutus sit Ennius. Hoc autem gravissimum est non diverso modo inquirendum esse in ablativos atque in monosyllaba in thesi posita.

Neque vero ignoro sententiam prolatam non ab omni parte fulcitam confirmatamque esse neque ignoro non explicatum esse, cur Plautum unus Ennius sequatur in annalibus et Plautus iterum solus fere ponatur contra ceteros poetas. Sed viam significare volui qua fortasse, ut rem explicemus, continget.

DE LITTERA *-M.*

Verborum quae in **arsi** posita sunt, haec exempla tradita sunt:

Monosyllaba:

Naev. c. 88: *Qua pro confidentia ⟨a⟩usus verbum cúm* ‖ *eo fuerim.*

Caecil. 121/2: . . . *depositus modo súm* ‖ *anima, vita sepultus sum* . . .

— 227: . . . *hic dúm* ‖ *abit, huc concessero.*

1) Pauca tantum exempla Plautina videntur obstare, sed minor est hic numerus, quam ut huic hiatui fidem praebere possimus cf. Maurenbrecher l. l pg. 208 sqq.

2) Quare reici non possunt versus illi quos supra (pg. 79/80) defendi.

Pacuv. 17: *Sed cúm* || *animum attendi ad quaerendum quid siet.*
Acc. 344: . . . *nám* || *ea oblectat spes aerumnosum hospitem.*
Titin. 57: *Ut cúm* || *ea primum blanditer . . . comparemus colloqui.*
Afran. 233: *In Gallia ambos cúm* || *emerem.*

Polysyllaba.

A.

Acc. 10/11: *Clássis trahere in salum* || *et vela ventorum animae immittere.*
Titin. 24/5: *Quáe inter decem* || *annos nequisti unam togam detexere.*

B.

Liv. Andr. tr. 26: *Égo puerúm* || *interea ancillae subdam lactantem meae,*
in secunda arsi septenarii trochaici.
Acc. 301: *Eloquere propere ac pavorem hunc meúm* || *expectora,*
in arsi ante ultimum metrum iambicum.
Turpil. 197: *Infelix inter tuniculám* || *ac strophium collocaram,*
in diaeresi septenarii iambici.
Afran. 176: *Venire et mecum speratúm* || *adducere,*
in arsi ante ultimum metrum iambicum.
Nov. 50: *Inferúm* || *autem ubi ego omnes digitos diffregi meos,*
in secunda arsi septenarii trochaici.
Nov. 70: *Supparum purum* † *belliensem, interim* || *escam meram,*
in arsi ante ultimum metrum iambicum.

Sed in Enni versu singularem formam falsam esse sensus, ut supra (pg. 31) monui, docet:
ann. 271: *Miscent inter sese inimicitiám* || *agitantes.*

Item nemo negabit alterum versum Ennianum corruptum esse:
ann. 535: *Cúm* || *illud, quo iam semel est imbuta veneno.*

Restat unus Titini versus 149: *Omnium vitiúm expertem e. q. s.* qui solus syllabam *-m* finitam praebet in arsi positam. Quare et ipse suspicioni est neque testimonium esse potest satis firmum syllabam in *-m* finientem arsim explere posse.

Ergo tria genera huius hiatus secernenda sunt. Vel verbum monosyllabum cum altera syllaba brevi coniunctum arsim solutam explet vel verbum pyrrhichicum. Polysyllabarum autem vocum syllaba ultima semper in diaeresi aliqua ponitur neque per se sola arsim explere potest. Neque Titini unus versus hanc sententiam debilitat.

Syllabae *-m* finitae in **thesi** positae.

Saepius verba quae in *-m* exeunt, ante diaeresim posita sunt, ita ut nihil de vi huius litterae cognosci possit: Naev. tr. 59, c. 19; Caecil. 71, 214; Pacuv. 237; Acc. 13, 231, 301, 476; Pompon. 7, 136, 171.

Tamen hic aliter res se habet, quam modo cum tractata sit arsis. Sunt enim nonnulla exempla quae vocem praebent in *-m* exeuntem ante vocalem positam nonnullis diversis locis versus.

Monosyllaba.

Enn. sc. 200: *Nám cum || ópulenti loquuntur pariter atque ignobiles.*
Caecil. 182: *Atque út magistratus publice cum || auspicant.*
Acc. 345: *Dum || íd quod miser est, clam esse censet alteros.*

Polysyllaba.

Naev. c. 27: *Qui decumas partes? quantum || alieni fuit.*
Pacuv. 303: *Beluarum || ac ferarum adventus ne taetret loca.*
Pompon. 41: *Quom palumbem unum || ex ore tollit . . .*
Enn. ann. 332: *Insignita fere tum milia militum || octo.*
— 494: *Dum quidem || unus homo Romanus toga superescit.*

Fortasse his exemplis annumerari possunt aliquot versus de quibus dubitare licet:
Caecil. 40: *Nam || híc in tenebris intus sese abscondidit.*

Enn. sat. 8: *Nam || ís non bene vult tibi qui falso criminat.*
Titin. 109/10: *Paula mea, amabo, pol tu ad laudem || addito 'praefiscini'?*
Titin. 172[1]: *Expórge frontem, || habeat semper facito rictus, rideat.*
Nov. 80: *Quid ego facerem? || Otiosi rodebam rutabulum.*

Testimonio non esse possunt hi tres versus: Acc. 57. Turpil. 149. Afran. 323.

Praeter hos versus certe corrupti sunt hi: Caecil. 181; Pacuv. 32, 93; Acc. 82, 377, 413; ex inc. inc. trag. 122; varie traditi hi: Pacuv. 369, 378; Turpil. 24; Enn. ann. 307.

Hi sunt versus in quibus voces littera *-m* clausae ante vocalem verbi sequentis collocantur non coniunctae inter se synaloepha in fragmentis. Quas voces fere semper viri docti coniungere solebant cum verbis in longam vocalem exeuntibus. Sed hoc iniuria factum esse mihi persuasum habeo. Nam coniunctis his duobus generibus non discernitur, qualis sit causa hiatus horum verborum. Tamen quaerendum est, sitne discrimen inter naturam vocum *-m* et longa vocali finitarum.

Ritschl quoque omisit discernere monosyllabas in *-m* finientes a ceteris quae exeunt in longam vocalem [1]). Utrumque autem genus agnovit: „Ceterum nec vitiosum et frequentissimum illum esse hiatum inter omnes constat, cum monosyllabae voces, sive in longam vocalem sive in *m* consonantem exeuntes, dum priorem syllabam solutae in duas breves arsis efficiunt, accentu intensae corripiuntur" [2]). Sed dubitavit voces polysyllabas littera *-m* finitas in textum recipere triaque exempla Mercatoris quae ut nimis „gemella repudiare" non ausus est [3]), singulari huius fabulae arti ascripsit. Tamen qualem esse putarit naturam huius soni *-m*, sitne consonans an vocalis, non video.

---

1) Maurenbrecher l. l. pg. 21, ann. 6.
2) Proll. ad. Trin. pg. CC.
3) l. l. pg. CCIV.

Lachmann autem accuratius sententiam suam professus est. Item enim, ut Ritschl, verba in *-m* vel longam vocalem finientia coniunxit, cum contradicente Prisciano putaret litteram *-m*, nasalem factam, syllabam producere cuius in fine collocata esset: „... eo fieri puto, quod *m* finale longam syllabam facit sive producenda vocali (quam tamen se productam audire Priscianus negat p. 781, 8) sive obscuro sono cum vocali quasi in diphthongum coalescente; quod ni faceret, neque in versu omitti neque hiatum facere posset, qui in brevi syllaba nullus est“ [1]).

Similiter naturam huius litterae Maurenbrecher definire se posse putavit. Cuius sententiam perlucide haec verba indicant [2]): „Nicht der noch erhaltene Konsonant, sondern die im alten Latein fortbestehende starke Nasallierung des Vokales im Verein mit der Ersatzdehnung ist es gewesen, die in zahlreichen Fällen die Vereinigung, die Contraktion (denn das ist Synaloephe gewesen) des auslautenden und des anlautenden Vokals verhinderte“.

Sed recte mihi videtur Jacobsohn [3]) oblocutus esse Maurenbrechero consonam esse vim litterae *-m* quae hiatum in prisco sermone excusaret: „Quare quia per longum temporis spatium non certe decerni poterat, utrum in nasalem vocalem an in nasalem vocalem et *-m* verbum desineret, et elisio et hiatus admissus est quae diversa ratio pronuntiandi in viva pronuntiatione retenta est“.

Neque vero hanc sententiam exemplis Plautinis satis confirmatam esse puto. Nam Maurenbrecher syllabam in *-m* exeuntem productam esse opinatus erat cum aliis causis motus, tum quod illae syllabae in arsi positae essent [4]). Quam opinionem futtilem esse demonstravit Jacobsohn, nam in omnibus fere versibus qui talem hiatum praebent, syllaba *-m* terminata arsim explet

---

1) Comm. in Lucr. pg. 130. 2) l. l. pg. 67.

3) Quaest. Plaut. Diss. Göttingen 1904, pg. 26.

4) l. l. pg. 60, cap. 4.

quae non modo longam, sed etiam brevem syllabam recipere potest[1]). Desunt ergo secundum ea quae disputavit Jacobsohn, exempla syllabae in *-m* exeuntis productae. Neque hoc mirum esse potest, cum supra demonstrare conatus sim longas syllabas ante vocalem positas corripi et partem vis suae perdere et ob hanc causam evitari tales syllabas in arsi quae longam syllabam postulat. Ergo ex eo quod syllabae quae littera *-m* terminantur, arsim quam longam esse necesse est, non efficiunt, concludere non debemus tales syllabas longas esse non posse, nam ne in longam quidem vocalem exeuntes syllabae eo loco versus inveniuntur.

Tamen sunt argumenta graviora quae docent minime amisisse *-m* omnem notam totamque naturam consonantis. Cognovimus enim dubium non esse, quin syllabae quae in *-m* exeunt, in fragmentis aliquot poetarum nonnusquam positae sint ante vocalem. Et veri simillimum est nonnullos versus quorum mensura non omni scrupulo caret, addi posse versibus illis in quibus verbum in *-m* finiens „hiare“ dicunt. In Plauti autem fabulis item hunc hiatum creberrimum esse omnes sciunt. Conspirant igitur fragmenta cum usu Plautino.

Sed cur plane diverso modo tractantur in fabulis voces quae in longam vocalem desinunt, quas eiusdem naturae esse dicunt atque in *-m* finientes? Nam in Plauti unius fabulis saepe syllabae in longam vocalem exeuntes in thesi collocantur ante vocalem verbi sequentis, in fragmentis autem semel tantum (cf. pg. 94). Ergo discrepant multum fragmenta ab usu Plautino. Itaque in prisca poesi verba quae in longam vocalem finiunt, aliter tractantur atque littera *-m* finita. Neque ulla causa huius usus diversi esse potest, nisi natura ultimi soni. Quare neque syllabas *-m* finitas vocalem naturam prae se ferre neque

1) Quare etiam vis et auctoritas unius illius versus Titini *ómniúm vitiúm* || *expértem* minor est, quam ut Lachmanni vel Maurenbrecheri sententiam fulciat.

litteram *-m* omnem notam consonantis naturae perdidisse veri simillimum est.

Nam si haec duo genera syllabae ultimae eandem naturam praeberent, eodem quoque modo tractata esse consentaneum esset. Scimus enim monosyllaba in longam vocalem vel in *-m* exeuntia non modo in Plauti fabulis, sed etiam in fragmentis correpta et cum altera brevi syllaba coniuncta arsim explere. Neque est discrimen inter Plautum et fragmenta. Tamen hoc tantum abest, ut eandem naturam harum syllabarum comprobet — nam diversae causae idem efficere possunt —, ut ex illo consensu concludere possimus polysyllabarum vocum syllabas ultimas longas vel littera *-m* finitas aliter in Plauti versibus, aliter in fragmentis tractatas diversa natura praeditas esse debere.

Et accedit alterum. Kirchhoff[1]) enim ostendit in clausulis Apuleianis litteram *-m* arcere synaloepham duorum vocabulorum neque fieri dicit ullum hiatum in omnibus Apulei clausulis in quibus verbum paenultimum in *-m* exeat et verbum ultimum a vocali incipiat. Unde hunc usum Apuleius sumpserit, nescio. Sed valde dubito an recte contenderit Kirchhoff sermonem vivum verba in *-m* finientia non coniunxisse cum voce sequente a vocali incipiente, usum autem omnium poetarum inde ab Ennio qui litteram *-m* vocales dirimere non passi sunt, totum remotum esse ab illo sermone vivo. Neque enim a me impetrare possum, ut concedam in tractanda littera *-m* vocem claudente quae in nulla fere sententia non ante vocalem verbi sequentis ponitur, diversum usum secutos esse poetas Romanos et sermonem cottidianum, etsi non ignoro esse nonnullas licentias prosodiacas in omni arte poetica. Ille autem usus quem constituere posse Kirchhoff sibi visus est, nimis artificiosus est magisque a sermone cottidiano abhorret, quam ut eum poetis latinis quorum in arte tam saepe elucet sermo vivus, attribuere

---

1) De Apulei clausularum compositione et arte quaestiones criticae. Diss. Göttingen 1902. Fleckeis. ann. suppl. 28.

possimus. Tamen, utut est, littera *-m* in clausulis Apulei synaloepham vocalium prohibet, verba autem quae in vocalem exeunt vel longam vel brevem, semper synaloepha coniunguntur cum voce sequente quae a vocali incipit [1]). Cur? Ut hiatus evitetur inter vocales. Ergo inter verbum in *-m* finiens et verbum a vocali incipiens hiatus non est. Estne *-m* littera vocalis? Amisitne omnem naturam consonae? Nego! Maurenbrecheri autem sententiam refutatam esse spero, sustentam sententiam Jacobsohni.

DE HIATU LOGICO.

Agmen claudat hiatus logicus. Quem hiatum legitimum esse in Plauti fabulis contendit Klotz [2]) ratus imprimis eos versus non mutandos esse qui hiant in intercisione quadam sententiae. Ipse vero concessit nimis esse lubricum in tali hiatu constituendo iudicium. Quare ut argumentis suis persuaderet multis viris doctis, ei vix contigit. Cui oblocutus est paucis verbis Leo [3]). Sed utut est in Plauti fabulis, fragmenta ne unum quidem testimonium afferunt. Omnes enim versus in quibus hiatus incidit in intermissionem sententiae, vel aliam causam qua hiatus comprobetur, secum ferunt vel minus certe traditi sunt quam ut eis liquido animo fidem praebere possimus. En exempla:

Ante initium alterius partis sententiae posita est ablativi forma:

Liv. Andr. c. 2: *Corruit quasi ictus scena,* || *hau multo secus.*

vel nom. plur. primae decl. [4]):

Afran. 163: *Septembris heri Kalendae,* || *hodie ater dies.*

vel verbum in *-m* exiens:

---

1) Pauca tantum exempla obstant in enuntiatorum finibus, non in clausulis cf. Kirchhoff l. l. pg. 26.

2) Altrömische Metrik pg. 104—119.

3) Pl. F.² pg. 335.

4) Leo Pl. F.² pg. 354.

Pacuv. 303: *Beluarum* || *ac ferarum.* Acc. 10/11: *Classis trahere in salum* || *et vela* e. q. s. Titin. 172[1]: *Exporge frontem;* || *habeat semper* e. q. s. Nov. 80: *Quid ego facerem? Otiosi* e. q. s.

Diaeresi dirimuntur partes sententiarum in his versibus: Naev. c. 77: *Alibi manus est occupata,* || *alii percellit pedem.* Enn. sc. 87: *Auxilio exili* || *aut fuga freta sim.*
Caecil. 168: *Consequitur comes insomnia,* || *ea porro insaniam affert.*
— 229: *Nunc meae malitiae, Astutia,* || *opus est 'subcenturia⟨re⟩..*
Acc. 231: *Egone Argivum imperium attingam?* || *aut Pelopis digner domo?*
— 452: *Meleagro,* || *ubi torrus esset interfectus flammeus.*
Turpil. 179: *Disperii misera!* || *uterum cruciatur mihi.*
— 197: *Infelix inter tuniculám* || *ac strophium collocaram.*
Pompon. 7: *At ego rusticatim tangam,* || *urbanatim nescio.*
— 119: *Quid habes in syrpiculis, calve?* || *Omne piscati genus.*
— 136: *Nobis disparem divisum:* || *huic seni senium et metum.*
Nov. 15: *Si tres mensae sint in aede,* || *ut pariter dispertiam.*
— 70: *Supparum purum belliensem,* || *interim escam meram.*

Corrigi debent hi versus: Naev. tr. 34; Caec. 77; Pacuv. 67, 382; Acc. 13; Turpil. 15; Atta 4; Pompon. 167 [1]).

Ergo qui sententiae intercisionem excusant in fabulis Plautinis, opinionis suae nullum esse testimonium in fragmentis sciant eamque nullo argumento fulciri nisi numero aliquot exemplorum, Plautinorum; numerus autem solus quantum valeat, nemo ignorat.

---

1) De Pomponi versu 49 egi pg. 64.

INDICES.

I. LOCI TRACTATI.

(pg. 8—68.)

Pacuvius.

Accius.

Ex inc. inc. trag.

Turpilius.

Ex inc. inc. com.

Titinius.

Atta.

Afranius.

II. LOCI TRACTATI TOTIUS OPERIS[1].

1) Exceptis locis in indice antecedente notatis.

III. INDEX RERUM NOTABILIUM.

IV. INDEX ALTERIUS PARTIS INQUISITIONIS.

VITA.

Natus sum Guilelmus Henricus Ax Hamburgi prid. Non. Jul. a. 1890, patre Josepho, matre Johanna e gente Lenau. Fidem profiteor catholicam.

Per octo annos frequentavi scholam Hamburgensem, cui praeest Dr. Grawe; deinde per quattuor annos discipulus fui gymnasii Hamburgensis cui nomen est Gelehrtenschule des Johanneums.

Anno 1909 testimonio maturitatis praeditus primum Friburgi per unum semestre, deinde Berolini per duo philologicis et hebraicis studiis operam navavi. Docuerunt me Friburgenses E. Schwartz, Bernh. Schmidt, Fabricius, Hoberg, Baumgarten, Binder, Uebinger et Berolinenses v. Wilamowitz-Moellendorf, Vahlen, Diels Norden, Kekulé, Lehmann-Haupt, Strack, Kühler, Stumpf, Roethe, Hintze, Bernhard. Ibique proseminarii philologici sodalis fui.

Autumno 1910 Gottingam me contuli, ubi me docuerunt viri doctissimi: Leo, Wendland, Pohlenz, Wackernagel, Busolt, Brandi, Lehmann, G. Körte, K. Müller, G. E. Müller. Proseminarii historici per duo semestria sodalis fui, per quattuor seminarii philologici, per unum senior. Exercitationibus historicis Busolt, archaeologicis G. Koerte et K. Müller benigne me acceperunt. Quod per tot semestria Wackernageli exercitationibus grammaticis tam perdoctis interesse mihi licuit, summum gaudium mihi attulit gratoque animo hic quoque viro doctissimo gratias ago.

Maximis beneficiis me cumulavit Fridericus Leo, homo humanissimus, doctissimus magister, quem morte lugubri mihi ereptum esse toto corde doleo, cuius viri amati memoriam semper grato animo servare aequum est officium.

Scripsi anno 1914 Gottingae hanc vitam ante bellum. Nunc demum hieme 1917/18, dum vulneratus in patria moror, mihi contigit, ut opusculum prelo subicerem.

This book is a preservation facsimile produced for
the University of Illinois, Urbana-Champaign.
It is made in compliance with copyright law
and produced on acid-free archival
60# book weight paper
which meets the requirements of
ANSI/NISO Z39.48-1992 (permanence of paper).

Preservation facsimile printing and binding
by
Northern Micrographics
Brookhaven Bindery
La Crosse, Wisconsin
2013